

STATVARVM ROMÆ EPIGRAMMATA.

STATVARVM ROMÆ EPIGRAMMATVM

LIBRI TRES.

In Primo Statuæ Consulum, Dictatorum, Interpositis Nobilium Fæminarum, Vestalium.
In Secundo Statuæ Numinum, Heroum, Regum, Reginarum, Picturæ, Sepulchra.
In Tertio Statuis Consulum Disticha.



VENETIIS. Typis Francisci Valuasensis.
MDCLIX.

Superiorum Permissu.



AD LECTOREM.



Væ Pars libro Ruinarum Romæ, si non deerat, mutila saltem, & manca videbatur, ea nunc primùm in lucem prodit restituta; Pars nempè illa Princeps, quæ Statuas præsefert, alteram penè Vrbem, Populumque Antiquæ Vrbis marmoreum. Aliquot sanè magnorum opera ingeniorum, & simulacra Numinum publicis in locis conspicua olim ad Censum reuocata sunt in Vrbe visitanda; cùm tamen adhuc plura superessent in hortis Principum, & Musæis custodita. E tanto itaque, tàmque ingenti Statuarum numero, nunc selectis aliquibus breues inscriptiones apponuntur, vt Heroas prisci seculi, & facies, & gesta vno quasi ictu oculi (Amice Lector) perlustres, nec minùs corporum, quàm animorum, ac virtutum species in tot Consulibus, & Dictatoribus deprehendas.

Neque mireris, quandoque ignotis Statuarum vultibus, semoque iam obliteratis nominibus, sua nomina reddi, aut imponi noua. Hoc enim fatum est Statuis non insolens, Vt earum capita permutetur, vulgatis iam pridem salibus etiam carminum. Quinimò etiam quæ non sunt finguntur, Pll.

tur,

tur, cùm etiam mentiri Clarorum Imagines, ſit aliquis Virtutum amor. Talis autem libertas maximè viget in carmine, quo celebres Mortalium Fortunæ extolluntur, aut notantur vitia, digniſque laudibus, aut iocis compenſantur; vt luxuriantes hominum animi, huius quaſi Tragicomicæ Scenæ obtutu expurgati, aurea morum Moderatione tandem componantur.

Aberrationes ſic emenda Pagina. 2 Ludibrium. 2 Tybris. 3 Capitolia. 8 Coriolanus. 8 Digna. 9 Cannenſe. 10 Æneadas. 15 Mecœnas. 17 tua. 22 metalla. 39 omnia. 41 ille. 46 pariles. 51 Nouercis. , eheu. 56 DEIECTA. 57 Iecerat. 59 Transferor. 67 latrunculorũ. 74 SEPVLCHRVM. 80 SACROSANCTAM. 87 fulget. 90 comprimit. TRIVMPHAT. 112 inuiſenda.

NOI

NOI REFORMATORI

dello Studio di Padoua.

APparendo per fede del Padre Inquisitor di Venetia, che nel Libro Intitolato Statuarum Romæ Epigrammata Andreæ Mariani. Non si troua cosa contra la Santa Fede, e parimente per attestato del Secretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza, che sia Stampato, osseruando però le leggi in questo proposito, e con l'obligo di consignarne due Copie nelle publiche Librarie di Venetia, e di Padoua, &c.

Data à 10. *Aprilis*. 1659.


(Leonardo Emo Reformator.
(Andrea Contarini Cau. Proc. Ref.

Alemante Angelo Donini Secret.

STATVARVM ROMÆ,

EPIGRAMMATVM.

LIBER PRIMVS.



1 AFRICANVS.

Victor ab euersa nomen Carthagine traxi,
Et procul ingrata cogor ab Vrbe mori.
Nempè meis humeris fuerat leuis Africa tota;
Sola meo cineri Patria terra grauis.

2 LVCRETIA.

Vim mihi Tarquinius, mihi vim mea dextera portat,
Candida nos docuit Natura repellere vim vi.

3 VIRGINIA.

Me Pater interimit, rapit arma, fugatque Tyrãnos,
Nostraque nõ frustra clypeũ post vulnera sumit.

4 ## MVTIVS.

VIndicibus flammis errantem corrigo dextram,
Inſpice Rex, victas ſic tibi dedo manus.
Læua grauis ferro feret omnia munera dextræ,
Quicquid peccauit dextera, læua leuat.

5 ## FLORA.

FOenum habet in gremio, flores quæ geſſerat; omnis
Quippe caro fœnum eſt, fœmina foeniculum.

6 ## FLORA EX METALLO.

FLora pudica parum ſibi ſigna metallina fecit;
Nulla quidem mulier iuſtiùs æra meret.

7 ## M. MARCELLVS.

ANnibal inferias Marcello ſoluit, & vrna
Argenti lapſos compoſuit cineres.
Ludibrium fuit Annibalis; Qui condit in auro
Oſſa, vel argento, diſijcienda locat.

8 ## C. SVFFECIA V.V.

DOno Tybis campum populo, ſtatuamque reporto
Marmoris; hoc terram eſt, & dare, & accipere.

TV-

9 TVTIA V.V.

TVtia portaui terebrato Tybrida cribro;
Integra uix credor mille foraminibus.

10 M. GENVTIVS CIPPVS.

NE post Tarquinios videant capitolia Regem,
Vrbe procul canibus præda futurus eo;
Vtilius Faunos inter, Satyrosque morabor,
Fixus vbi medijs hæsero Cippus agris.

11 EGERIA.

IN lacrymas soluor Nymphis sociata, Camænis
Addita, perdo Numam, Numen & inuenio.

12 TATIA NVMÆ.

SVm Tatia, & magno quid maius coniuge presso;
Fæmina sacrorum conscia dum taceo.

13 HORATIVS COCLES, ET PONT. COMINIVS.

POntius, & Cocles duo sunt miracula Tybris,
Tota subit fracto prælia ponte Cocles.
Per medios hostes Capitolia ad alta per vndas
Pontius ipse sibi pons sinè ponte meat.

14 HORATIA.

VLtima tot fratrum funestas compleo mortes;
Expleo fatalem numerum, redderque tenebris.

15 AMILIÆ V. V. MAXIMÆ DISCIP.

CArbasa nostra damus foculis, ignemque ciemus,
Vestis enim Vestam flammea flamma trahit.

16 PAVLVS ÆMILIVS.

QVicquid Alexandri, quicquid rapuere Philippi,
Omnia Rex Perseus, omnia Paulus habet.
Perseus è Dannaes natus Ioue dicitur aureo,
Aureus hic etiam est Perseus Æmilio.

17 PERSEVS REX.

PErseus Amilij pedibus procumbit humi Rex;
Verè sub Paulo se putat esse nihil.

18 PAPIRIA PAVLI ÆMILII.

CAleeus esse viri dicor, sum calcar, & oestrum,
Cui mea nobilitas est quasi luna pedi.

19 Q. FABIVS M. F. N. N. COS. III.

TErcentum supero Fabios; ego quippè supersum
Vnicus, & Fabiam repleo prole domum.
Nil Cremera & Veij fuerant, nihil Allia Cannæ,
Dum steterint nostræ, germina salua fabæ.

20 FABIA FABII FABRICIANI.

NOn ego cunctatrix, sed amante potita maritum
Percita perdo: moras aliger odit Amor.

21 FA-

21 FABIVS CVNCTATOR.

CVnctator Fabius nihil egit & hostis abibat;
Exitus Annibalis Consulis acta probat.

22 FABIO MAXIMO.

MAximus est Fabius Plebem qui Patribus unit
Maius opus Montes iungere syderibus.
Quin superas Fabios ter magne, ter optime nullo
Cum Ioue diuisum, qui regis Imperium.

23 NVMERIVS FABIVS.

ME fugiunt hostes, viso velut Hectore Troes;
Non aequat numerum gens inimica meum.

24 FABIVS PRÆTOR.

QVi pilus in potu lactis mihi guttura clausit,
Est de velleribus lurida Parca tuis.

25 PORTIA BRVTI.

VVlneribus taciturna suis, satiata fauillis,
Portia nil curat funus & exequias.
Vulnera dum sepelit, facta est sibi viua sepulcrum,
Iusta sibi soluit, dum bibit ore rogum.

26 PORTIA.

BRute tuum mihi cor, mihi celas vulnera, Brute?
Tu facis id sine me, quod facio sine te.

27 PORTIA.

SPerno Helenæ faculas, & clara incendia Troiæ,
Carbo mihi fumo splendidiore micat.

28 FABIVS PICTOR.

HIstoriam Patriæ scripsit, pinxitque salutem,
Pingere non nouit, fallere non didicit.
Sarsina ne doleat, quoniam superatur ab isto,
Qui poterat scenas pingere, Plaute, tuas.

29 TARGEIA V.V.

COmprimor à Tatio, sed adactis comprimor armis,
Virgo mori salua Virginitate queror.

30 MINVTIA V.V.

EFferor occultæ damnata Minutia morti
Non quia Virgo minus, sed quia compta nimis.

31 RHEA SILVIA MATER ROM. ET REM.

TRes Animas gessi, donec pariendo gemellas,
Tertia de nostro est pene reuulsa sinu.
Si Martem meus vssit amor, Quis munera Diuum
Arguat? Aut Rheam criminis esse ream?

32 SVLPITIVS FLAMEN DIALIS.

LApsus apex capiti, me sacris arcet ab aris;
Vltima sit nobis linea summus apex.

33 SVLPITIA PATERCVLI F. FVLVII FLAC. C.

DEdico vos Veneri vertenti corda puellæ,
Meque Pudicitiæ dedico Sulpitiam.

34 M. CRASSVS DIVES.

ARſacidis Aquilas linquo caput, arma, manuſque
Et ſimul in Patriam ciuica bella traho;
Mortuus ad Carrhas conuello mœnia Romæ;
Diuitibus longas quis neget eſſe manus?

35 LICINIA V.V. ACCVSATA.

DOna mihi mittit, neque mecum Craſſus habet rem;
Rem cupit, & villam Diues habere meam.

36 M. APICIVS.

ESſe diu volui, volo ſemper Apicius eſſe;
Quę comedenda eſſi, quæque bibenda bibi.

37 MARTIA CATONIS, ET HORTENSII.

ME Cato dimiſit viduam, ditemque recepit;
Martia bis igitur magno ſum nupta Catoni;
Vixerat Alcinous noſtris Hortenſius hortis;
Digna ſed Alcinoo vixi, bis digna Catone.

38 MARTIA.

IGnea me grauidam ſine vulnere fulmina tangunt,
Martes non Bacchos Martia parturio.

39 PONTIVS, ET MARIVS IVNIOR.

P Ontius & Marius nosmet Preneste necamus,
Nos nimium fortuna suis complexibus angit.

40 ERSILIA ROMVLI.

E Rsiliam fecere Deam, iunxere Quirino,
Ne careat socia thalami post funera coniux;
Vt septem gemini venerentur Oreada montes;
Vtque suam tueatur Oram Romanus Orion.

41 PAPIRIVS PRÆTEXTATVS.

M Atribus illudo, Patrumque arcana recondo;
Detego quæ Matres, hac tego fraude Patres.

42 ANTHO AMVLII FILIA.

F Los Martem genuit; fouet Antho Martis amicam
Ne geminos perdat, nè iugulata cadat.

43 M. COROLAINVS.

C Oriolos cepi, cepissem Moenia Romæ
Impiger euersa dici Romanus ab Vrbe;
At vetuit Mater. Potuit quis iustiùs vnquam
Parcere subiectis, aut debellare superbos?

44 VERGILIA CORIOLANI C.

E Licui lachrymas mollito è coniuge coniux;
Pigna quidem pluuiæ munera Virgiliæ.

VE-

45 VETVRIA CORIOLANI. M.

ET bellum & pacem peperi; sum ianua belli
Veturia, & Patria Pelias hasta mea.

46 LIVIVS SALINATOR.

ECce Salinator, muriam qui miscuit Afris,
Et caput Asdrubalis misit ad Annibalem.
Asdrubales alios, Lybie mihi debita, mitte;
Factus enim iam sum Liuius, & Libius.

47 CLÆLIA.

PEr Tyberim fugitiua nato, secura natarem
Per Phlegetonteos absque Charonte lacus.

48 LÆLIA.

LÆlia sum germen sapientis, germen amici,
Nomen amo doctæ, sed respuo nomen Amicæ.

49 TERENTIVS VARO.

TE ne pudet lanio genitum iugulasse Quirites?
Acta est res gladijs, actaque res iugulis.
Romuleas acies trahis ad cannente macellum,
Parce, voces pugnam quæ laniena fuit.

50 HYLERNA IANI.

VXor Hylerna senis videor noua Ianua Iani;
Semper enim pacem clausa reclusa fero.

51 ILIA MARTIS.

INsero Troiugenis Martem: tulit Ilion olim
Aeneadas, profert Ilia Romulidas.

52 T. QVINCTIVS FLAMINIVS.

FLaminius Flamen fueram; Pro Numine nostrum
Libera seruitio Graecia nomen habet.
Me poterat dixisse Iouem, si Iuppiter ipse
Non renuat socios, & Iouis esse Ioues.

53 ACCA LAVRENTIA NVTRIX.

EXcipit expositos nutrix, alit Acca gemellos,
Desinit esse lupa, creditur esse Dea.

54 PRIMA QVIRINA ROMVLI. F.

ILla ego Regali de germine nata Quirini
Filia sim quamuis vnica Prima vocor.

55 POPILIVS LÆNAS, ET C. OCTAVIVS LEGAT.

SI libet Antiochum virga circundare Regem,
Parcite nos tetris adnumerare magis.
Par opus est nobis responsa reposcere Regum,
Ac nigra de stygio spectra ciere chao.

56 SYLVIA MARCELLI.

REtibus & iaculis syluas, Marcelle, frequentas;
Dum tibi nobilior Syluia sylua domi est.

57 SALIA ANIONIS REGIS F.

QVæ pario Salios, & profero festa Latinos,
Filia sum Regis, non sum lupa nata luperçis.

58 Q. FABIVS LABEO.

FInes Parthenopen inter, Nolamque diremi,
Et retuli Patriæ iugera pauca meæ.
Si qua tamen labes Romani nominis, illa
Est mea. Sum Labeo, nec sinè labe fui.

59 ST: IVLIÆ AVGVSTI F. DORMIENTIS.

O Tu qui transis face, ne mea somnia turbes,
Vendo vigil noctes, dormio lassa dies.

60 IVLIA PVLCHRA PAPIRII.

CRederer esse Venus, si Iulia Ceston haberem,
Si non incestam genuissem Pulchra puellam.

61 APPIVS CÆCVS.

SEmina cum foueas prouuità tyrannidis, Appi,
Niteris ad nutus voluère cuncta tuos.
Vine diù, generose senex, sinè luce; Tyrannum
Quandoquidem res est rara videre senem.

62 IVLIA CÆSARIS F. POMPEII CON:

HAc pereunte perit Roma concordia Patrum:
Iulia Cæsaris est, Patria Cæsaris est.

63 FA-

63 FABIVS CVNCTATOR.

HOsti necto moras; Hostis sibi nectit amores:
Sic Patriam teneo, nam mea Roma mora est.

64 PONTIVS AQVILA.

SVrgere qui stanti renuebam, assurgo cadenti,
Nec sibi degenerem suspicit Vrbs Aquilam.
Excitor & Patriæ vindex rua victor in hostes;
Non poteram melius surgere, vel cadere.

65 LIVIA AVGVSTI.

QVas amet, aut quid agat coniux, disquirere cesso,
Felix viuo mihi, viuat vt ille sibi.

66 LIVILLA DRVSI.

INfelix Liuilla mei pincerna mariti,
Cogor obire fame, cùm nimis ille bibat.

67 AFRICANVS.

SCipiades belli fulmen, Carthaginis horror,
Ossa dedit terræ, ceù famul esset iners.
Excidio Lybiæ Patriam seruauit, & idem,
Securam proprio reddidit exilio.

68 TANAQVIL ET TVLLIA.

PLange virum Tanaquil; Tu Patri Tullia parce;
Illa nimis seruum diligit, ista virum.

Q. PLE-

69 Q. PLEMINIVS LEGAT. SCIPIONIS.

PErsephone Locris spoliata plector, & auri
Pondera quæ rapui, per styga restituo.

70 P. CLODIVS.

MIsceo Mysta nouus memet muliebribus aris,
Callidus experior, si Bona sit melior.
Nascor Patritius, morior plebeius; Euge
Curia cum nostro concidit vsta rogo.

71 VIBIVS RVFVS.

CÆsaris in sella sedeo, con Coniuge Tullij
Sterto; die Cæsar, nocteque sum Cicero.

72 AVIOLA CONSVLARIS.

EXcitor extremis rediuiuus, & ardeo flammis;
Suscitor vt Phoenix, vror vt Auiola.

73 CATO VTICENSIS FILIVS.

SI feror aduersos mortis contemptor in hostes,
Non minor inuicto Patre cadente cado.
Liber vt euadam, non vt cum Cæsare regnem,
Regius est mi animus; Regia quin Anima.

74 PVBLIVS CRASSI FIL.

PVblius occumbo, quia primus in agmine pugno,
Qui preit ante Patrem, concidit ante Patrem.

M. LOL-

75 M. LOLLIVS.

INfelix Lolium neque felix Lollius; hausi
Grandia si Regum dona, venena bibo.

76 ST: TVBERONVM.

PAupere sub tecto Tuberones vna tegebat
Parua, sed ingenti plena tumore domus.
Ecquis non reputet Cælesti e semine cretos?
Tubera nascuntur cùm pluit, atque tonat.

77 ÆLIVS TVBERO.

DVm paro fictilibus cœnam, risere Quirites;
Qui scit, an appositas mallent consumere mensas?

78 IVLIVS CRISPVS TRIB. MILITVM.

NOs animæ viles inhumata, infletaque turba;
Dùm referunt alij nostro de sanguine palmas.

79 CANINIVS COS. VNO DIE.

VEspere dimisit fasces, quos mane recepit.
Hos citò suscepit, seròque deposuit.
Annuus in fastis nunquam dicere Canini
Consul in extrema scriptus Ephemeride.

80 HELVIDIVS CIN. TRIB. PLEB. LEGISL. POLIG.

VNi homini plures mea lex iubet esse maritas;
Iam nothus est nosus, legeque legitimus.

81 QVINCTILIVS VARVS.

PErdis apud Rhenum legiones, Vare; quid ergo
Te nemus omne canat? tristia bella canet.

82 BIBVLVS COS.

COnsul eram Bibulus; Propria sed Consul in æde,
Horrebamque metu Cæsaris ire foras.
Ipse mihi fasces fregit collega superbus,
Consul eram, Caio, & Cæsare Consulibus.

83 ANCIVS RESTIO TRIB. PLEB.

VOs cœnate domi, qui vultis habere curules:
Sic ego Mecœnas mecum cœnatus habebor.

84 A. SEMPRONIVS ASELLIO PRÆTOR.

REprobat vsuras, & perdit Asellio vitam,
Perdit enim fœnum, cui malè fœnus olet.

85 GN. AFRICANI F.

TVrgidus inflatis generosus Imagine Patris,
Scipio ventosus, Scipio arundineus.
Scipio te genuit, sed bacchanalia viuis;
Ortus an è belli fulmine Bacchus eras?

86 A. POMPEIVS QF.

LImina mane tero Tarpeia, Iouemque saluto;
Longa nocte bonam reddidit ille diem.

87 LICINIVS MACER.

C Laudo mihi fauces, orat quia Tullius in me,
Marce, tuas nequeo claudere, claudo meas.

88 P. SCAPTIVS EMERITVS VETERATOR.

M Ente senex valeo, Patriaque adiudico campos
Pro quibus externi litibus arma mouent
O, si Mnemosyne superesset, plura docerem
Scaptius ex ipso vel repetenda Chao.

89 M. VOLVSVS ÆDIL. PROSCRIPT.

E Xuo Pratextam, mentita veste recondor,
Et velut Isiacus Gallus ab Vrbe volo.

90 C. SENTIVS SATVRNINVS PROSCRIPT.

A Rripio fictos fasces, & vito secures,
Sic benè pro vita ius mihi dico mea.

91 COLOSSIS IMPERATORVM.

D Ij Magni quondam statuas habuere pusillas,
Contra homines parui statuas voluere gygantum.
Par est impositos pigmeis esse Colossos,
Ac super excelsis pigmeos stare columnis.

92 RACILIA QVINCTI CINCINNATI.

Q Vincto digna fui, pluuio Ioue digna fuissem;
At Iouis ille mei sub iuga Taurus arat.

93 BIBLIA DVILII.

PEr mare dum pugnas, tua coniux cara, Duili,
Soluitur in tristes Biblidis instar aquas.

94 C. ET TIB. GRACCHI.

QVid Reges, quid Tarquinios depellere Regno
Profuit? Extinctis Concordia surgere Gracchis
Fertur, at oppressa dominantur plebe Quirites;
Turba Tyrannorum nostris ex ossibus orta est.

95 FLORENTIA CALPVRNII.

F. Luctibus exponor Florentia, vendor amanti;
Bis tua, Calpurni, sum prece, mox precio.

96 BISACIA CALPVRNII CRASSI.

PRodo Patrẽ, & Patriam; sed amato prodor ab hoste,
Et sola in siccis pudibunda relinquor arenis.

97 CATO CYPRIVS.

QVo te, dure Cato, cogunt malè sana Quiritum
Iussa? Quid immeritas depopularis opes?
Expoliare Cyprum, nudamque relinquere Cyprim
Magna est durities, maior auarities,
Maxima luxuries.

98 LEPIDA SCIPIONIS METELLI.

SCipio me repulit, Cato ducit; Scipio rursus
Me petit; Vnus habet Lepidam, tamẽ alter habetur.

99 PTOLEMÆVS REX CYPRI.

REx miſer expolior; Quid laudas Roma Catones?
Redde meas mihi res, vel mihi dede reos.

100 SYLLA DEPOSITA DICTATVRA.

SEcurus æuum tranſigo,
Brutoſque non exhorreo.
Neſcire dicor literas;
Quin arma Cæſar neſciet.

101 LVCRETIA.

QVomodo me Caſtam potuiſſet credere Roma,
Si iuxta famulum clàm iugulata forem?
Cum ſeruo moriar? Cum libertate cadendum
Eſt mihi, caſta cado, libera fama mea eſt.
Fert libertatem hoc ferrum, atque æterna minatur
Prælia Tarquinijs, vulnera Cæſaribus.

102 HORATIVS.

A Me percuſſa feriuntur fœdera porca,
Cæſaque Romuleæ ſus datur Alba lupæ.

103 CVRIATIVS.

ASſeruit Patriæ numeroſus Horatius Albam,
Sex numerat mortes; iam ſumus ergo pares.

COR-

104 CORNELIA GRACCHORVM MATER.

MAlo Gracchorum Mater Cornelia dici,
Regia quàm Coniux, & Cleopatra Phari.
Nolo tuos, Ptolemæe, toros, ipsumque recuso.
Si iactet nomen Regis habere Iouem.
Brutos diligerem: vos vos mea pignora adoro
Numina pro Patrijs sacrificata focis.

105 SERGIVS MILES CVM MANV EX FERRO.

DExtram recisam, dextra supplet ferrea.
Est semper inuictus cui Mars in manu est.

106 L. GLAVCIA.

BRachia in Asdrubalis naues iniecta reliqui
Non carui palmis, si carui manibus.

107 CATO VTICENSIS.

NOn didici seruire senex, neque fabula cessi
Regibus, haud fugio, sed mea fata sequor.
* *Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni;*
Dum gladium teneam non ego victus ero.
Omnia Cæsar habe; suus est Cato solus; In ista
Est mea libertas, & mea vita manu.

108 ARIA PETI.

STringo prior gladium, prior ipsa effundo cruorem,
Pete, tibi durum mollio mortis iter.

109 SALONIA CATONIS CENSORII.

SOlicitare ſenem potuit mea forma Catonem,
Pro rigido mollem, pro ſene reddo Patrem.

110 REGVLVS.

* *PRorogat æternam feritas tibi punica famam,*
Regule, centena dùm terebraris acu.
O quàm crudeli te purpura murice veſtit,
Regia quàm duro te capit arcta throno.
Penè pares odio populis diſcordibus eſtis
Reges Romanis, Regule Sydonijs.

111 CLAVDIA V.V.

CAſta probor poſtquam Berecynthia venit ab Ida,
Arbitra ſola meæ digna Pudicitiæ.

112 CLAVDIA V. V.

PAtribus inuitis Patrem complexa triumpho.
Numina nobiſcum Veſtæ potiora triumphant.

113 CASSIVS.

* *VIncis apud ſuperos votis me, Cæſar, iniquis,*
Transfixus proprio Caſſius enſe cado.
Ad Lybien alij properent, & inhoſpita quærant
Regna, petant latebras, perfide Nile, tuas.

Ad

Ad Libertatis se Cassius immolat aram;
Vt mea se Casio conferat ara Ioui.

114 AVRELIA CÆSARIS MATER.

AVrelia Parens Cæsaris lectissima;
Nam filij lecto adstitit semper vigil.

115 CALPVRNIA CÆSARIS.

SOmnia nostra prius, dein Patrum curia, Cæsar,
Te iugulant; Igitur tu mihi bis moreris.

116 ST. POMPEII IN CVRIA.

EFfudit Cæsar lacrymas non sponte cadentes,
Vidit vbi truncum Regis ab ense caput;
Pompeius siccis oculis adspexit Iulum
Antè suos lacerum succubuisse pedes:
Se Genero sociare Socer post fata volebat,
Vult Gener à Socero degenerare suo.

117 ANTISTIA POMPEII VXOR PRIMA.

PRæcedo Magni Coniuges Antistia,
Præcedo Magnæ prologus Tragœdiæ.

118 MVTIA POMPEIO REPVDIATA.

MVtia Pompeio coniux Agamemnone magno
Lætor, at Ægisto Cæsare læsa gemo.

119 CARVILIVS MAX.

EXocreis galeiſque Iouem compono; metalla
Hoſtibus excíſis ſanguinolenta tuli.
E Ioue quæ reſtant micas mihi ſumo cadentes,
Ac ſtatuam parili mole figuro meam.
Collocor in Templo; ſi non e ſtirpe Tonantis,
Saltem aliquid dicar Ruga fuiſſe Iouis.

120 CARVILIVS RVGA.

CAruilius primùm Romæ diuortia feci,
Iure poteſt ſocios ſoluere Ruga toros.

121 SERVILIA BRVTI, ET SERVILIA LVCVLLI.

SEruilias decuit ſolis ſeruire maritis;
At malè ſeruimus mille cupidinibus.

122 METELLVS CRETICVS.

CReta Iouis Magni ferro diſcerpor, & igne,
Romulidæ ſummas ſuppoſuere faces.
Siccinè lactentis cunæ meruere Tonantis
Fumida Tarpeio ſacra litare Ioui?
Cretica redde mihi mea nomina rapta Metelle,
Creta meum nomen, ſed tua carbo notat.

123 METELLA SYLLÆ.

DVm ſoluit decimas Alcidi Sylla Metellam
Extulit; ad decimas additur vndecima.

V A-

124 VALERIA SYLLÆ.

V*T felix fieret Syllæ vicina ſedebat;*
Aſſidet in Circo, quò cubet in thalamo.

125 MVMMIVS ACHAICVS.

* I*Ste triumphata Capitolia ad alta Corintho*
Mummius ære graues iuſſerat ire rotas.
Marcida delitijs, opibus, luxuque ſuperba,
Fluxerat in Cineres Vrbs precioſa ſuos.
Non cuiuis poſthac contingit adire Corinthum;
Sunt bimares portus. Alta Corinthus vbi eſt?

126 GEGANIA ET CLVENTIA. V.V.

N*Auta Gyas ſtirps noſtra fuit, fortiſque Cloantus;*
Fluctibus è Patrijs ad Veſtæ venimus ignes.

127 ST. MVMMII STATVARVM RAPTORIS.

M*Armoreos tecum Romam deducis Achiuos;*
Durus an eſt mollis, Mummi, tuus iſte triũphus?

128 Q. SERVILIVS CÆPIO.

V*Rbis Iuleæ ſum Cepio prouidus Auſpex*
Vrbes dum capio, templaque dìũ ſpolio;
Dùm Cymbris vincor; ſceleratus indicor hoſtis,
Et reus in Tyberim præcipitatus agor.
Seruio Seruilius ſorti; Lachrymare viator;
Ex oculis lacrymas hæc tibi capa trahat.

129 M. VARRO.

VArro silet, præteritaque locutus docet
Tacere viuos, non tacere mortuos.

130 M. VARRO.

PEr me habeat Messes culto Romanus ab Orbe;
Fructus vndè feram, meus es, Fundania, fundus.

131 L. LVCVLLVS.

ME non immerito Xersen dixere Togatum,
Barbara cui paret Pontus, & Armenia.
Non ego compedibus meditabar stringere vasta
Littora, vel liquido ponere fræna mari.
Vndique dispansis lata æquora retibus arcto,
Adque Luculleas transfero delitias.

132 FVLCINIA MARII, ET ELVIA TVLLI. M.M.

IEla parit Marium, Ciceronem protulit ista;
Contulit vna manus Romæ, tulit altera linguam.

133 TERENTIA CICERONIS.

VIuo diù, variasque vices, lethumque mariti
Specto, meæ fio lachrimosa tragœdia Romæ.

134 CVRIVS ET FABRITIVS.

INspice frugalem Curium, paruoque potentem
Fabritium, pauper Consul vterque fuit.

Sed

Sed nil splendidius, sed nil speciosius vnquam,
Vidit ab Orchestris Martia turba suis.
Aurum & opes spretæ, proiectaque barbara gaza,
Castra elephantorum tergore pensilia,
Rex Pyrrhus fugiens, expugnantumque Tarentum.
Acta est Pauperibus fabula Consulibus.

135 ORESTILLA M. PLAVTII.

CErnis Orestillam, cui Plautius alter Orestes
Iunctus in ardenti est victima Viua rogo.

136 PONTIA OCTAVII.

ESt facilé, Octaui, ferro mihi demere vitam;
Non fugit hunc Martem nostra Pudica Venus.

137 PONT. AQVILA ET METELLVS TRIB. PL.

POntius en Audax, temerarius ecce Metellus,
Vnus agit populi ne rapiantur opes.
Non vult Cæsareis assurgere fascibus alter,
Et tamen armatus Cæsar vtrumque tulit.
Parcere subiectis sit Gloria trita Quiritum,
Parcere sublatis Gloria Cæsaris est.

138 L. COTTA TRIB. PLEB.

DEbita ne soluam fieri procuro Tribunus;
Cuique suum tribuo, nam mea non habeo.

139 M. CINCIVS TRIB. PLEB.

SAncio ne populus vendat suffragia, Consul,
Accipe Marte meo, quod petis ære tuo.

STA-

140 STATVIS QVIRITVM NOVIS CAPITIBVS.

HÆc quæ trunca suis, alienis insita surgunt,
Tot Romanorum corpora verticibus.
Forsan erant fortes Fabij, rigidique Catones,
Forsan & in mutilo marmore Cæsar erat.
Nunc super impositos vultus mirantur & ora;
Degeneres animos degenerasse dolent.
Cedere multa libens non indignata vetustas,
Plurima concessit, sed caput abripuit.

141 ST. CORVNCANORVM LEGAT. OCC.

VRbs Coruncanos statuis tripedalibus ornat,
Miserat hos bipedes, mox recipit tripedes.

142 ST. METELLORVM

SErrani periere, superuixere Metelli,
Nemo cupit serere, quisque cupit metere.

143 STAT. REGVM CAPTIVORVM.

STabimus æternum populi monumenta superbi
Marmora captiuas fune reuincta manus?
Dumque coronati scandent Capitolia Tauri,
Purpura de nostro pectore viua fluet?
Ergo catenatos Reges exoluere vita,
Est Capitolino soluere vota Ioui?

144 FVLVIA M. ANTONII.

FVluia dicacem Ciceroni perforo linguam,
Transfixit nostrum si prior ipsa virum.

M. AV-

145 M. AVRELIVS PROSCRIPT.

ME miserum, vitamque, Albanaque prædia perdo;
Non me Sylla ferox, at mea villa necat.

146 GLVSIA TORQVATI.

DEferor aeria præceps è turre, sed eheu
Flantibus à ventis ad amantē impellor & hostē,
Inque tuas Torquate manus; tibi militat æther,
Et coniurati mea flant in carbasa venti.

147 SERGIVS CATILINA.

PEndeo de scopulo Sergesti e semine cretus;
Infelix saxis in procurrentibus hæsi.

148 L. CETEGVS.

HEù discinctæ nimis, nimis altè cincte Cetege;
Quàm malè cinctutus cingeris ad iugulum?

149 ROMVLVS ET CAMILLVS TOGATI.

HI duo Romani sunt Romulus, atque Camillus,
Neuter habet tunicam, sumpsit vterque togam.
Ergo nec armati, nec ferro, aut ære coruscant
Vrbem qui gladijs hic statuere suis.
Pacis enim mores si quis benè conferat armis
Cedunt pacificæ protinus arma togæ.

CAL-

150 CALPVRNIA MARII F.

IMmolor à Mario iuuenis Calpurnia Patre,
Fundo acies fuso sanguine Teutonicas.

151 OCTAVIA M. ANTONII REPVD.

OCtauiam fugis, sequeris Ægyptiam,
factus ab Anubide canis ad Nilum bibis.

152 ALTER ROMVLVS.

MAximus exoreris parili quo sydere Roma,
Romule, quo primùm condita sole fuit.
Iam tibi præcedunt fasces, noua purpura regnat;
Assurgunt gladijs lilia iuncta tuis.
Omina sunt eadem, seù frondeat hasta Quirino,
Seù Spatha tergeminis floribus aucta micet.

153 POMPEIA CÆSARIS.

DIgna ego Pompeio, dignissima Cæsare vixi,
Sors bona nil aliud. Cur Bona non bona sit?

154 SCRIBONIA AVGVSTI REPVD.

SCriba meus tu, Cæsar, eras, Scribonia non sum
Docta tuas artes, In candida vertere nigrum.

155 CÆSAR ET CICERO.

IVlius à magno deduxit nomen Iulo,
Et Cicero proprium messuit è cicere.

Non

Non habuere pares, aut dextra aut ore tonarent,
Iulius Imperio, Tullius eloquio.
Immò fuere pares, tandèm pro Cæsare cæsus
Cæsar, & excisus pro Cicerone cicer.

156 C. CVRIO.

ROmula turba meo plaudit reuoluta Theatro
Plaudit, vt ancipiti mole voluta tremat.

157 TERENTIA MECOENATIS.

AVgusto sum cara, Virum si diligit ille,
Diligit & pulchram pariter cum coniuge nuptã.

158 ST. IVLII CÆSARIS LAVREATA.

REgia cum posses diademata sumere, Cæsar,
Sola triumphator laurea serta capis.
Vulnera molle fouens poterat Diadema ligare,
Pellere si laurus fulmina iacta potest.
At Iouis è Cælo metuebas tela trisulca,
Dextra tamen Bruti plus metuenda Ioue.

159 CRASTINVS MILES CÆSARIS.

PRimus in Æmatijs contorsi pila Philippis
Crastinus; heù nimium tunc hodiernus eram.

160 CONSIDIVS.

COnsidius verax etiam sub Cæsare vixi;
Fisus in extremis fio Considius annis.

ST.

161 ST. TYBERII IMPERATORIS.

RIdiculum exposuit populo sua Roma Neronem,
Liuia cui Mater cesserat Imperium.
Caluus ridetur vetulus, dum mergeret Vrbem
Planctibus; heu varijs vita rotata Dijs!
Profuit Augusto Iuueni fortuna comata,
Obfuit annoso tempore calua Venus.

162 PAVLINA SATVRNINI.

FAllor ab Isiacis, ab Anubide comprimor. In me
(Stabo ne) si Mundi machina tota ruit?

163 DECIVS MVNDVS.

MVndus hic immundus gaudet temerasse Pudicam;
Quin cane Niliaco peior & angue latrat.

164 ST. TYBERII.

PVblica prætendit Cæsar, sibi consulit vni,
Et proprij iuris publica iura facit;
Nomina iustitiæ sunt nomina vana tyranno,
Nam sua cui reddat, qui sua quæque putat?

165 APICATA SEIANI.

SOla ego non damnor, damnato coniuge coniux;
Viuere sic potui, sic Apicata mori.

166 ENNIA MACRONIS.

ENnia Macronem sapidum gustabat homonem,
Cui iuuenis Caij plus placuere sales.

PE-

167 PEPONILLA GALLI SABINI.

MÆsta diù vixi cum coniuge clausa sepulcro,
Et peperi natos sic tumulata duos.
At vos, Romani, Mortis miserescite alumnis;
Perdimus heù vitam, dum fugimus tumulum.

168 GEMINIVS RVBVS, ET PVBLIA PRISCA C.

IN manibus ferrum, gerimusque in pectore ferrum,
I nunc & molles argue, Roma, reos.

169 CÆSONIA CAII.

ME nouus Actæon sinè veste ostentat amicis;
Non habet ille caput, neque cor, & cornua quærit.

170 METIVS POMPVSIANVS.

ORbis terrarum pictus, quo lumina pasco,
Heù maiestatis me facit esse reum.
Quanta sui Regni trepidis est cura Tyrannis,
Ficta reformidant, pictaque Regna timent.

161 DYNAMIS ASANDRI SCRIBONII, ET POL.

SI mihi sint vires, sum Ponti Dynamis hæres;
Qui potè plus regnat, qui potè plus capiat.

172 SEIANVS.

TVscus eques Seianus erat; sed fata reuoluunt,
Vt sua Seiani destruat instar equi.

AGRIP-

173 AGRIPPINA NERONIS M.

EN Romana Venus Pelago commissa profundo
Prosilit è medio ceu Cytherea mari.
Ne doleas crudi post impia vulnera nati;
Mille tulit Matri vulnera Natus Amor.
Si Venus Æneam peperit Simeontis ad vndas,
Tu paris extremum germinis Æneadum.

174 SPORVS NERONIS.

SVm Dominus Domini, do vitam, adiudico morti;
Sic volo, sic iubeo, quod sine teste probo.

175 PALLAS, NARCISSVS, ET POSIDES CLAV.

SErui, & spadones dum regunt Rempublicam,
Nos aula veros credidit Triumuiros.

176 PLVTVS A NERONE OCCISVS.

VIdit vbi Cæsar nostri fastigia nasi,
Nasutum doluit se secuisse caput.
Funera fles nasi, Nero dure, sed omnia comples
Cladibus, ac naso non cadit ira tuo.

177 POPPÆA NERONIS.

ME grauidam, Nero, calce necas: tua viscera perdis;
A capite ad calcem totus homo malus es.

ÆLIA

178 ÆLIA CATVLA.

SAltaui senior barbam tondente Nerone,
E Catula Domino blanda Catella meo.

179 CLAVDIVS IMPER.

ME Seneca extinctum pupugit, placuitque Neroni,
Irridendo mihi, proficiendo sibi.
Aurea crudelem docuit documenta Tyrannum,
Intereà vastas rasit auarus opes.
Tàm benè qui cantat, qui tàm malè scalpurit vngue,
Quis queat Hispanum credere? Gallus erat.

180 FLORONIA V. V.

ME perimo quoniam sepeliri viua recuso;
Capto libens mortem, dum fugio tumulum.

181 OPPIA V. V.

OPpia pro thalamo terra tumulata recondor;
Terra quies alijs, posthuma pœna mihi est.

182 BRITANNICVS CLAVDII F.

COxit, recoxit toxicum mihi Nero,
Vnda calente frigidaque miscuit;
Crudi Neronis cruda semper omnia
Fuere; cocta, cruda, calida, frigida.

183 MANVLIA A. HOSTILII MANCINI.

E*St tibi dicta dies, quia saxo expellis Amantem*
Aptius, ò Mulier, nox tibi dicta foret.

184. VRANIA HELIOGABALI.

C*Oniugia Solis dignor: connubia nobis*
Debita, dum Soli iungitur Vrania.

185 ALTER BRITANICVS.

B*Ritanico funestior Britanicus*
Rex, se rotante Regia Catastrophe
Ferale signum factus est, cui carnifex
Laruatus amputat coronatum caput;
Est ergo larua dispari spectaculo
Ridenda pueris, lachrymanda Regibus.

186 HISPALIS FECENIA.

H*Ispalis accusat sacra, quæ Romanus adorat,*
Quæ mala fert Bacchus, dispulit ista Venus.

187 TVTVLA PHILOTIS ANCILLA.

H*Ostes deludo, Dominarum maxima credor,*
Nos nequijt totas perdere Galla lues.

188 MESSALINA E PARIO MARMORE.

I*Ntegra tota nitet facie, minus integra forma,*
Frons Messalinæ candida, Vita nigra est.

Intrabat calidum tacita ſub nocte lupanar,
Captabat medio publica vota die.
Æra repoſcebat patulis tunc nuda papillis,
Nunc niſi quod meretrix, nil meretricis habet.

189 AQVILIA V. V. HELIOGABALI

SAcra Dea Vario iungor: Vir hic improbus ambit
Contemerare Deas, & genuiſſe Deos.

190 CLODIA LÆTA V. V. CARACALLÆ.

ME, Cæſar, violare nequis; hinc Læta ſepulcro
Infodior vitio non vitiata tuo.

191 FAVSTINA.

SPirat adhuc Veneres facie Fauſtina ſenili,
Viuidus in ſiccis oſſibus ardet Amor.
Fit cinis, & ſolito veteres coquit igne medullas,
Fit cinis & vitium carnis, & oſſis alit.

192 HELIOGABALVS.

AD generum Cereris ne ſicca morte Tyrannus
Deferar, in medio Tybridis oſſa laue.

193 MAXIMINVS IMPER.

TRax truculente, feri minuunt tua nomina mores,
Sola tibi eſt ſcelerum maxima maximitas.

194 COMMODVS HABITV HERCVLIS.

TV quoque Cæsaream fœdasti, Commode, sedem.
Et tamen Herculeum nomen, & arma capis.
Te magis illustrat tua purpura mollis, & aurum,
Apta tibi claua est, sed magis apta colus.
Nempè suis mundum domuit Tyrinthius armis,
Tu pariter mundum, sed muliebre domas.

195 LVCEIA MIMA ANVS.

VIxi Nestoream Luceia Mima senectam,
Et non displicui fabula longa nimis.

196 CITHERIS MIMA M. ANTONII IN CVRRV.

MIma sed Antonij vehitur Cytherea Cytheris.
Iuncta columba lupo, vecta Leone lupa.

197 TRAIANVS IMPER.

PAndo Maris portum, neque Portitor esse Charonne
Censeor è stygijs velificatus aquis.
Traianus quoque sterno vias, vt nulla feratur
Inuia Virtuti, deuia nulla via.

198 VESTALES DAMNATÆ.

PRo Patria morimur, quoniam seruare Quirites
Prole nona cupimus, quos perdere Vesta laborat.

IV-

199 IVLIA MAMMEA.

SI Mammea vocor, nunquam Mammosa vocabor;
Augustæ scelus est, exponere pectus apertum.

B.V. CVM FILIO E CRVCE DEPOSITO
OPVS CELEBRE BONAROTÆ
200 IN VATICANO.

NAtè mei Ventris quondam dulcissime fructus,
Heu cadis in gremium fructus acerbe meum.
Fili, cur Mulier non Mater nominor à te?
In Cruce num Matrem se facis Eua tuam?
Sola ego te peperi, Materque miserrima fructum
Arboris infaustæ nunc velut Eua lego.

FILIVS B. VIRGINIS.

ME moriente tremit rerum natura, vacillat
Mundus, hiant fractis marmora visceribus.
Vnica tu, Mater, perstas infracta, manesque
Integra dum nascor, integra dum morior.

Illustrissimo, & Excellentissimo.

CORNELIO MALVASIÆ

Christianissimi Francorum Regis In exercitu Italiæ Locumtenenti Generali.

SENATORI BONONIÆ.

MARCHIONI BISMANTVÆ.

Vscepit primùm nostras in Apolline Musas
Mantua fortunis anchora prima meis.
Rursus vt emerita tandem requiete fruantur,
Corneli, tua BISMANTVA *suscipiat.*

STA-

STATVARVM ROMÆ,

EPIGRAMMATA.

Historica, & fabulosa.

LIBER SECVNDVS.

ST. CIRCE EX METALLO

1 VVLGO LA CINGARA IN CAPITOLIO.

HÆccine quæ summas habitauerat Anxuris arces,
Decolor Isiaca de Babylone venit?
Ergo potens Virga Dea sæua nocentibus herbis,
Ceù vates mendax æra minuta petet?
Alba igitur Circe mutato fusca colore,
Filia Solis erat, filia Noctis erit?

2 STAT. FORTVNÆ SVPER ORBE.

SVb pede fortunæ descriptus imagine mundi
Stat globus, & nostras ridet iniqua vices.
Ceù pila iactamur, Sors omnia versat, habetque
Nos Deus in manibus, Nos Dea sub pedibus.

3 ST. PSICHES.

DOrmit Amor, Psiche, sceleratam extingue lucernã,
Dormit Amor, Psiche, Non tibi dormit Amor.

4 ST. SYBILLÆ.

EDita Cimmerijs Vates Cumaea tenebris,
Vmbrarum tacitas viua pererro domos.
Impleo fatales numerati pulueris annos,
Mox feror exiguis extenuata sonis.
Iam sum quae fueram, sum vox, & puluis, & vmbra,
Vox quoque dum vixi, puluis, & vmbra fui.

5 FORTVNA SVPER ROTA.

NIxa rotæ, Fortuna, fugis, præsensque vacillas
Sero redis longas nectere docta moras.
Scilicet vt fugias, à te rota voluitur vna;
Vt redeas, multis volueris acta rotis.

6 AMOR LVDENS TALIS.

PRoijcit arma procul, Talos capit; omnia vincet;
Arcet Amor Martem, quo iaciat Venerem.

7 ST. PALLADIS.

ARmipotens belli præses Tritonia Pallas
Condor arachneis obsita textilibus.
Læta triumphaui pœna pendentis Arachnes,
Quid tamen infensam perdomuisse iuuat?
Non secus ac armis victrix Tarpeia Sabinis,
Comprimor à telis, æmula Virgo, tuis.

8 ST. ARACHNES.

I*Nſideo ſtatuis, veterique inſulto Mineruæ,*
Cui coma, cui nares, cui cecidere manus.
Iam citò tota ruet præceps; Ego viuida ſemper,
Pendeo, ſed numquam præcipitata cado.

9 VENVS ARMATA.

E*N Armata Venus, qualem ſibi Sparta figurat;*
Quæ tellus Helenas parturit, arma gerat.

10 ST. HELENÆ.

C*Vr maculam ſpecioſa refert in fronte puſillam*
Tyndaris è niueo nata puella Ioue?
An quoniam tali de nube Deieſpiter arces,
Concutit Oebalias, fulminat Hectoreas.
Quicquid id eſt, pulchro vapor illo decorus in ore
Fumus Troiani nuncius ignis erat.

11 ST. SEMIRAMIDIS.

I*Rreligata comas, contra Babylona rebellem*
Efferor, vt ſceptro ſtet religata meo.
Regna alijs mutant diſcincto crine cometes,
Noſtraque diſpanſis ſunt ſtabilita comis.

12 ST. ARTEMISIÆ.

IN cineres me noster Amor, Mausole, redegit,
Nunc cineres cineri misceo facta cinis.

13 CANDACE REGINA ÆTHIOPVM.

FVsca licet, sim lusca licet, vicinia Solis
Candacem nigram reddit & vnoculam.
Regna per Æthiopum victricia profero signa;
Adque meas surgunt agmina mille tubas.
Assimilor Soli, vigilant cui Sydera noctu,
Ac solo lustrat lumine cuncta diu.

14 ST. PLVTONIS INNIXA CVPRESSVI.

IVncta Ioui stygio pro gnomone acuta cupressus
Indicat aerio vertice Solis iter.
Arbos atra suas signat mortalibus horas,
Vmbra nigræ mortis solis ab orbe cadit.

15 ST. FÆMINÆ FLENTIS, ET SVBLEV. FASC.

ELeuo fasciolum manibus, doleoque solutam,
Perdere par nobis dolor est, & soluere Zonam.

16 ARSINOE REGINA.

PElleris, Arsinoe, Patrio septemplice Nilo,
Mox vocat in Regnum te Cytherea Cypron.

Rap-

Raptaris Romam duris religata cathenis,
Quas tibi Germanæ diſſoluere preces.
Voluit adhuc fortuna rotas, vt Martis in vrbe
Inuenias Bacchos flens Ariadna tuos.

17 ST. FÆMINÆ SE EXPOLIANTIS.

NOn roſa, mirtus, olor, non ceſtus, concha, columbæ,
Nullaque ſunt Veneris Symbola, nullus Amor.
Eſſe tamen Venerem dicunt, quia ponit amictus;
Nimirum eſt omnis fæmina nuda Venus.

18 ST. NOCTIS.

NOx immota manet ſtatua taciturnior, aſtris
Compta, ſed & lingua Sydere tacta ſilet.

19 MAIOR HELICE.

ARctoi Regina poli, quam ſtellifer axis
Euehit, vt Cæli Sydera luce regas.
Scit niuibus ſeruare fidem tua flammea Veſta,
Palladis in niueo pectore Numen alis.
Palladium Teucris ereptum ex ignibus olim
Huc ab Hyperborea detulit Vrſa niue.

20 ST. HELENÆ ET HELLES.

PAr fortuna pares Helenam commiſit & Hellem,
Vna micat flammis, altera claret aquis.
Infelix Helene malè nato excluditur ouo,
Infelix Helle præcipitatur oue.

173 AGRIPPINA NERONIS M.

EN Romana Venus Pelago commissa profundo
Prosilit è medio ceu Cytherea mari.
Ne doleas crudi post impia vulnera nati;
Mille tulit Matri vulnera Natus Amor.
Si Venus Æneam peperit Simeontis ad vndas,
Tu paris extremum germinis Æneadum.

174 SPORVS NERONIS.

SVm Dominus Domini, do vitam, adiudico morti;
Sic volo, sic iubeo, quod sine teste probo.

175 PALLAS, NARCISSVS, ET POSIDES CLAV.

SErui, & spadones dum regunt Rempublicam,
Nos aula veros credidit Triumuiros.

176 PLVTVS A NERONE OCCISVS.

VIdit vbi Cæsar nostri fastigia nasi,
Nasutum doluit se secuisse caput.
Funera fles nasi, Nero dure, sed omnia comples
Cladibus, ac naso non cadit ira tuo.

177 POPPÆA NERONIS.

ME grauidam, Nero, calce necas: tua viscera perdis;
A capite ad calcem totus homo malus es.

ÆLIA

178 ÆLIA CATVLA.

S*Altaui senior barbam tondente Nerone,*
E Catula Domino blanda Catella meo.

179 CLAVDIVS IMPER.

M*E Seneca extinctum pupugit, placuitque Neroni,*
Irridendo mihi, proficiendo sibi.
Aurea crudelem docuit documenta Tyrannum,
Intereà vastas rasit auarus opes.
Tàm benè qui cantat, qui tàm malè scalpurit vngue,
Quis queat Hispanum credere? Gallus erat.

180 FLORONIA V. V.

M*E perimo quoniam sepeliri viua recuso;*
Capto libens mortem, dum fugio tumulum.

181 OPPIA V. V.

O*Ppia pro thalamo terra tumulata recondor;*
Terra quies alijs, posthuma pœna mihi est.

182 BRITANNICVS CLAVDII F.

C*Oxit, recoxit toxicum mihi Nero,*
Vnda calente frigidaque miscuit;
Crudi Neronis cruda semper omnia
Fuere, cocta, cruda, calida, frigida.

183 MANVLIA A. HOSTILII MANCINI.

Est tibi dicta dies, quia saxo expellis Amantem
Aptius, o Mulier, nox tibi dicta foret.

184 VRANIA HELIOGABALI.

Coniugio Solis dignor: connubia nobis
Debita, dum Soli iungitur Vrania.

185 ALTER BRITANICVS.

Britanico funestior Britanicus
Rex, se rotante Regia Catastrophe
Ferale signum factus est, cui carnifex
Laruatus amputat coronatum caput;
Est ergo larua dispari spectaculo
Ridenda pueris, lachrymanda Regibus.

186 HISPALIS FECENIA.

Hispalis accusat sacra, quæ Romanus adorat,
Quæ mala fert Bacchus, dispulit ista Venus.

187 TVTVLA PHILOTIS ANCILLA.

Hostes deludo, Dominarum maxima credor,
Nos nequijt totas perdere Galla lues.

188 MESSALINA E PARIO MARMORE.

Integra tota nitet facie, minus integra forma,
Frons Messalinæ candida, Vita nigra est.

In-

Intrabat calidum tacita sub nocte lupanar,
Captabat medio publica vota die.
Æra reposcebat patulis tunc nuda papillis,
Nunc nisi quod meretrix, nil meretricis habet.

189 AQVILIA V. V. HELIOGABALI

S*Acra Deæ Vario iungor: Vir hic improbus ambit,*
Contemerare Deas, & genuisse Deos.

190 CLODIA LÆTA V. V. CARACALLÆ.

M*E, Cæsar, violare nequis; hinc Læta sepulcro*
Infodior vitio non vitiata tuo.

191 FAVSTINA.

S*Pirat adhuc Veneres facie Faustina senili,*
Viuidus in siccis ossibus ardet Amor.
Fit cinis, & solito veteres coquit igne medullas,
Fit cinis & vitium carnis, & ossis adit.

192 HELIOGABALVS.

A*D generum Cereris ne sicca morte Tyrannus*
Deferar, in medio Tybridis ossa laue.

193 MAXIMINVS IMPER.

T*Rax truculente, feri minuunt tua nomina mores,*
Sola tibi est scelerum maxima maximitas.

194 COMMODVS HABITV HERCVLIS.

TV quoque Cæsaream fœdasti, Commode, sedem.
Et tamen Herculeum nomen, & arma capis.
Te magis illustrat tua purpura mollis, & aurum,
Apta tibi claua est, sed magis apta colus.
Nempe suis mundum domuit Tyrinthius armis,
Tu pariter mundum, sed muliebre domas.

195 LVCEIA MIMA ANVS.

VIxi Nestoream Luceia Mima senectam,
Et non displicui fabula longa nimis.

196 CITHERIS MIMA M. ANTONII IN CVRRV.

MIma sed Antonij vehitur Cytherea Cytheris.
Iuncta columba lupo, vecta Leone lupa.

197 TRAIANVS IMPER.

PAndo Maris portum, neque Portitor esse Charonue
Censeor è stygijs velificatus aquis.
Traianas quoque sterno vias, vt nulla feratur
Inuia Virtuti, deuia nulla via.

198 VESTALES DAMNATÆ.

PRo Patria morimur, quoniam seruare Quirites
Prole nona cupimus, quos perdere Vesta laborat.

IV-

199 IVLIA MAMMEA.

SI Mammea vocor, nunquàm Mammosa vocabor;
Augustæ scelus est, exponere pectus apertum.

B.V. CVM FILIO E CRVCE DEPOSITO
OPVS CELEBRE BONAROTÆ
200 IN VATICANO.

NAtè mei Ventris quondam dulcissime fructus,
Heù cadis in gremium fructus acerbe meum.
Fili, cur Mulier non Mater nominor à te?
In Cruce nùm Matrem se facit Eua tuam?
Sola ego te peperi, Materque miserrima fructum
Arboris infaustæ nunc velut Eua lego.

FILIVS B. VIRGINIS.

ME moriente tremit rerum natura, vacillat
Mundus, hiant fractis marmora visceribus.
Vnica tu, Mater, perstas infracta, manesque
Integra dum nascor, integra dum morior.

Illustrissimo, & Excellentissimo.

CORNELIO MALVASIÆ
Christianissimi Francorum Regis
In exercitu Italiæ Locumtenenti
Generali.

SENATORI BONONIÆ.

MARCHIONI BISMANTVÆ.

SVscepit primùm nostras in Apolline Musas
Mantua fortunis anchora prima meis.
Rursus vt emerita tandem requiete fruantur,
Corneli, tua BISMANTVA *suscipiat.*

STA-

STATVARVM ROMÆ,

EPIGRAMMATA.

Hiſtorica, & fabuloſa.

LIBER SECVNDVS.

ST. CIRCE EX METALLO

1 VVLGO LA CINGARA IN CAPITOLIO.

HÆccine quæ ſummas habitauerat Anxuris arces,
Decolor Iſiaca de Babylone venit?
Ergo potens Virga Dea ſæua nocentibus herbis,
Ceù vates mendax æra minuta petet?
Alba igitur Circe mutato fuſca colore,
Filia Solis erat, filia Noctis erit?

2 STAT. FORTVNÆ SVPER ORBE.

SVb pede fortunæ deſcriptus imagine mundi
Stat globus, & noſtras ridet iniqua vices.
Ceù pila iactamur, Sors omnia verſat, habetque
Nos Deus in manibus, Nos Dea ſub pedibus.

3 ST. PSICHES.

DOrmit Amor, Psiche, sceleratam extingue lucernã,
Dormit Amor, Psiche, Non tibi dormit Amor.

4 ST. SYBILLÆ.

EDita Cimmerijs Vates Cumæa tenebris,
Vmbrarum tacitas viua pererro domos.
Impleo fatales numerati pulueris annos,
Mox feror exiguis extenuata sonis.
Iam sum quæ fueram, sum vox, & puluis, & vmbra,
Vox quoque dum vixi, puluis, & vmbra fui.

5 FORTVNA SVPER ROTA.

NIxa rota, Fortuna, fugis, præsensque vacillas
Sero redis longas nectere docta moras.
Scilicet vt fugias, à te rota voluitur vna;
Vt redeas, multis volueris acta rotis.

6 AMOR LVDENS TALIS.

PRoijcit arma procul, Talos capit; omnia vincet;
Arcet Amor Martem, quo iaciat Venerem.

7 ST. PALLADIS.

ARmipotens belli præses Tritonia Pallas
Condor arachneis obsita textilibus.
Læta triumphaui pæna pendentis Arachnes,
Quid tamen infensam perdomuisse iuuat?
Non secus ac armis victrix Tarpeia Sabinis,
Comprimor à telis, æmula Virgo, tuis.

TS.

8 ## ST. ARACHNES.

INsideo statuis, veterique insulto Mineruæ,
Cui coma, cui nares, cui cecidere manus.
Iam citò tota ruet præceps; Ego viuida semper,
Pendeo, sed numquam præcipitata cado.

9 ## VENVS ARMATA.

EN Armata Venus, qualem sibi Sparta figurat;
Quæ tellus Helenas parturit, arma gerat.

10 ## ST. HELENÆ.

CVr maculam speciosa refert in fronte pusillam
Tyndaris è niueo nata puella Ioue?
An quoniam tali de nube Deiespiter arces,
Concutit Oebalias, fulminat Hectoreas.
Quicquid id est, pulchro vapor illo decorus in ore
Fumus Troiani nuncius ignis erat.

11 ## ST. SEMIRAMIDIS.

IRreligata comas, contra Babylona rebellem
Efferor, vt sceptro stet religata meo.
Regna aliis mutant discincto crine cometes,
Nostraque dispansis sunt stabilita comis.

Raptaris Romam duris religata cathenis,
Quas tibi Germanæ dissoluere preces.
Voluit adhuc fortuna rotas, vt Martis in vrbe
Inuenias Bacchos flens Ariadna tuos.

17 ST. FÆMINÆ SE EXPOLIANTIS.

NOn rosa, mirtus, olor, non cestus, concha, columba,
Nullaque sunt Veneris Symbola, nullus Amor.
Esse tamen Venerem dicunt, quia ponit amictus;
Nimirum est omnis fæmina nuda Venus.

18 ST. NOCTIS.

NOx immota manet statua taciturnior, astris
Compta, sed & lingua Sydere tacta silet.

19 MAIOR HELICE.

ARctoi Regina poli, quam stellifer axis
Euehit, vt Cæli Sydera luce regas.
Scit niuibus seruare fidem tua flammea Vesta,
Palladis in niueo pectore Numen alis.
Palladium Teucris ereptum ex ignibus olim
Huc ab Hyperborea detulit Vrsa niue.

20 ST. HELENÆ ET HELLES.

PAr fortuna pares Helenam commisit & Hellem,
Vna micat flammis, altera claret aquis.
Infelix Helene malè nato excluditur ouo,
Infelix Helle præcipitatur oue.

26 CYRCE CVM VLISSE.

VRor amans Cyrce, tibi pocula libo; Quid illa
Respuis, & Cyrcen Hospes amate fugis?
Haurio si flammas, tu longa obliuia potas,
Tuque bibis lethen, de Phlegetonte bibo.

27 MONYMA MITHRIDATIS VXOR.

INfelix Diadema vale, mihi prorsus ineptum
Cingere vel frontem, stringere vel iugulum.

28 ANNA PERANNA.

EXagitor furijs soror infelicis Elisæ,
Per mare, per terras irrequieta feror.
In Latium propero nuribus seruire latinis
Prompta, sed Ausonijs obruta raptor aquis.
Scilicet hæc Annæ cessit fortuna Perannæ,
Vt felix Anni non foret hora mei.

29 NYMPHA SVPER DELPHINO.

PHyllis frenato vehitur Delphine per æquor;
Inspicit, & ridet Doris, & Alma Venus.
Nereides clamant; Ergo Delphines agentur
Ore tenere lupos? tergore ferre lupas?

30 IVPPITER AMMON.

NE pecoris tantùm placeat sibi cornibus Ammon,
Ardua cui Tauri cornua fixit Amor.

IOCA-

31 IOCABELA MATER MOSIS.

LÆta Ducem populi pario. Tu gloria, Moses,
Es mea, tu vindex in Pharaona Deus.
Desinat Ægyptus querulis vlulatibus Apim,
Nostraque conflatos poscere turba Ioues.
Ne petat Isacides Vitulum, vel Memphis Osirim,
Splendidiora tuo lumina fronte geris.

32 DALILA SAMSONIS.

FOrtior esto hominum nimis imperterrite Samson,
Exuperat vires blanda Dalila tuas.
Robur inest lacrymis, oculisque vibrantibus ignem,
Vis tua de tenui pendula crine cadit.

33 LATONA OPERIS FIGVLINI.

FIctilis est Latona, suam qua fecerat hostem
Marmoream, Niobes ipsa sit Archetypus.

34 ST. AMPHIONIS MVTATA IN DAVIDEM.

MVsicus Amphion Thebanæ conditor arcis,
Callidus audito saxa mouere sono.
Redditur adiecto fundæ discrimine Dauid,
Reges ambo, sua notus vterque lyra.
Artibus extructis periles, fidibusque canoris;
Ille tamen lapides traxerat, iste iacit.

35 ST. SAVL REGIS.

P*Vnge Asinos, Rex Saule, tuos, & parce Leoni,*
Dauid eris nusquam, sis licet usque Saul.
Esse nequis Samson, quamuis tibi mella recondas;
Ex Asinis genitas, quis tibi credat apes?

36 ORFHEVS LACERATVS.

F*Æmineis manibus misere discerpitur Orpheus;*
Tàm benè non audit, quàm benè fila mouet.

37 CAPVT GORGONIS.

Q*Vi scit an hos proceres, quos circumstare videtis,*
Verterit in lapides prodigiale caput?
Dira quidem facies lucem auersata, diemque
Impeteret cæcum propudiosa Chaos.
Qui scit an intereà sibi marmora condat, vt inter
Saxa sibi tumulum, non tumulata locet?

38 CVPIDO INVERTENS PHARETRAM.

I*Nuersa Pharetra numerat sua tela Cupido,*
Fata quibus nobis nigra vel alba notat.
Clauserat humanæ prius hic discrimina vitæ,
Nunc relegit lapsos versa Pharetra dies.

39 ST. ADONIS.

A*Ccinctum gladio quis non miretur Adonem?*
Vult pro Marte suam solus habere Cyprim.

GNI-

40 GNIDIA VENVS EX PHRINE.

Illa per Eleas Vrbes notissima Phrine,
Artificis docta reddor ab arte Venus.
Nempè Deæ placuit de me sibi sumere formam,
Nec pudet humanis vultibus esse parem.
Fingite vos Venerem salsis emergere ab vndis
Prosilit è nostro mollior illa sinu.

41 HERMAPHRODITVS.

Qvicquid habet pulchri puer & formosa puella,
Sculptus ab arte puer semipuella refers.
Ipsa Venus forma vinci fortasse timeret,
Ni tua sit species, & Venus ambigua.

42 SILENVS CVM PASTORIBVS, ET NYMPH.

Mopso Nisa datur; Sileno contigit Ægle.
Vinum bibit, fecem bibet, Vinũ bibi, merũ bibã.

43 ST. PARCÆ SEMIFRACTÆ.

Nigra soror truncis manibus, colloque resecto
Visitur apposita vix benè nota colu.
In Mortale genus forceps districta, retundi
Nescia, vel proprias messuit vsque Deas.
Cui tandem poterunt crudeles parcere Parcæ,
Cum sibi fatales vltima fila neant?

ST.

44 ST. VNIVS PARCÆ.

NVlla mihi soror est, Tres suppleo sola sorores,
Sola neo, glomero, conglomerata seco.
Vitam hominum quasi lina traho, quasi stamina rumpo,
Omnis & e lino est linea facta meo.

45 GLADIATOR CVM LINGVLA.

PRouocat ignauas mea saxea dextera gentes,
Quasquè ferire nequit lingula, lingua ferit.

46 ST. VENERIS TRANSFORMATA.

EXpoliata sinus leui de marmore tota
Victrici pomo conspicienda Venus
Fronde superposita pubi mutatur in Euam,
Quæ pariter pomo est reddita nuda suo.
Eua, licet Mater videaris vera dolorum,
Si folium tollas, Mater Amoris eris.

47 ST. HERCVLIS TRANSFORMATA.

PElliceas Dominus tunicas, tibi fecit, Adame,
Qui noua iam Nemeæ tegmina pellis habes.
Ne velut Alcides generosa hac pelle triumpha
Tunc pellitus eras, nunc recutitus eris.

48 ST. CAIM.

PRimus homo nascor, dum nascor filius Euæ:
Dum fratrem perimo, denascor filius iræ.

49

ST. EVÆ EIECTÆ.

QVò misera abscondar? Pudet! heù licet vnica viuā,
Viuat & excepto coniuge nullus homo;
Omnia quæ potui mala feci; defuit vnum,
Non potuisse virum reddere Zelotypum.
Hinc licet innumeris agitata doloribus angar,
Defuit vna meis Zelotypeia malis.

50

ST. ADAMI.

EST factus Adàm, qui fuit Tyrinthius,
Vterque natus ad labores, coniuge
Vterque deceptus sua. Hic nudus tremit,
Indutus alter veste Nessi aduritur.

51

ST. RVSTICI.

CÆlum oculis specto, terramque ligone reuoluo;
Fido meis rastris, plusquàm Ptolemæus in astris.

52

ST. SALIS.

TRansferor in statuam Niobe velut altera, mutor
Orpheus vt versa vertitur Euridice.
Ergone suspiciam fumantia sulphure tecta,
Et Patriæ pœnas multiplicabo nouas?
Non sat erat piceis Cælum tonuisse fauillis,
Ni pariter nostro seminet arua sale?

PAR-

53 PARCA TRANSFORMATA.

APposuere colum vetulæ, fusumque parenti,
Vndè trahit nostrum linea prima genus.
Nuda sibi similes si protulit Eua nepotes,
Vestiat vt nudos, denique filat anus.

54 ST. IVNONIS.

QVis Iouis vxorem tumefacto pectore finxit
Vbera non turgent manantia lacte Nouereis.

55 ST. NOE ET LOTH.

LOth fugit è Flammis, Noe seruatur ab vndis,
Obrutus epoto stertit vterque mero.
Alter vt euigilat sua pallia ludicra Natis,
Alter Natarum flamea nota videt,
Per cineres profugis, per aquas fugientibus, heu,
Nullaquè mica salis, nullaque gutta maris.

56 ST. ANTHÆI SEMIFRACTA.

COnteror allisus terra, nec vt ante resurgo
Matris ab amplexu fortior ille Gygas.
Iam mea me mater non vult agnoscere, postquam
Reddor ego Cæli filius arte fabri.

57 ST. PSICHES.

VEntre grauē cur, Scalptor iners, exculpere Psichen?
An potuit grauidam reddere solus Amor?

58 ST. VXORIS LOTH.

Mortua non iaceo, neque tristi condor in vrna;
Sed potius salsa condior in statua.
Non tamen insulsum potui condire maritum;
Quin scelus infandum nocte silente bibat.
Vxor versa retro, Pater ebrius, vtraque Pellex
Filia, Tota ego sal, & domus absque sale.

59 ST. MIDÆ REGIS.

Stulte, quid auriculis enormibus esse laboras?
Rex potius longas debet habere manus.
Omnia scis, malè cuncta regis; solum auribus optas
Esse Midas, Totus diceris esse Asinus.

60 ST. OCNI.

Torques, Ocne piger, funem, quam rodit asellus;
Ne tè suspendas, præstat asellus opem.

61 VENVS FVGIENS MARTEM EX METALLO.

Mulciber elicuit geminam fuso ære figuram,
Ecce fugit viso Marte Pudica Venus.
Sistitur immenso surgentis massa metalli
Pondere, quæ geminos arctat vtrique pedes.
Nempè Faber gaudet, quasi compede stringat Amantes,
Quos malè dispositis retibus implicuit.

ST.

62 ST. VENERIS EX MAGNETE ET VVLCANI. EX CHALYBE.

LEmnius ex ferro sequitur Magneta Dionem
Hos simul arcano fœdere iungit amor.
Numina nectit Hymen, lapides Natura maritat
Pronuba Virginibus, Factaque Lena Dijs.

63 ST. CASSANDRÆ.

PArcite si taceo, quoniam non credita veris
Nescio mentiri, falsa recuso loqui.

64 ST. SATVRNI FILIOS VORANTIS.

SAxa voras, Saturne Pater, frustraque repugnas
Parcarum fusis, qui tua fila trahunt.
Coniuge deceptus patrio spoliabere Regno,
Exul & in Latia rupe latebis inops.
Saxa sed hæc reddent Capitolij immobile Saxum
Milleque placatos terra latina Ioues.

65 ST. MELEAGRI MARMOREA.

PErfosso Meleager Apro cum stipite vixit,
Pergit adhuc vita viuere Marmorea.
Non timet extingui carie neque torris ab igne,
Tunc timuit quando lignea vita fuit.

66 ST. SATVRNI.

MAnducas, Saturne, & inexaturabilis exples
Impia visceribus viscera, nec satur es.

67 ST. TEMPORIS.

HOrtorum custos curua cum falce verendus
Mutor in annosi temporis effigiem
Omnia tempus habet, tempus secat omnia falce,
Omnia tempus habent, omnia falce meto.
Tempora ridendi mea sunt, mea tmpora flendi,
Omnia tempus habent, omnia tempus habet.

68 ST. VENERIS TOGATA.

QVam veteres populi nudam coluere Dionem,
Contegis apposita, Sculptor inepte, toga.
Numina dempsisti statuæ, meretrixque togata
Reddita iam tandem est, quæ fuit antè Dea.

69 TAVRVS EVROPÆ.

ANnue Nympha Ioui, genibus tibi supplico flexis,
Quò tibi, si manis victima, cæsa cadam.

70 VVLCANVS.

REtia si Marti, si tela trisulca Tonanti,
Splendida si Phrygijs fortibus arma paro;
Ne me crudelem fabrum, pœnæ vè ministrum
Credite, fortunæ quisque suæ Faber est.
Quisque suos patimur manes: Igne omnia vinco,
Dum mea ceù fatuo friget ab igne Venus.

ST.

71 ST. VERTVMNI.

VErtumnus omnia verto, Tybrim dirigo,
Verto vetusta mœnia, hortos instruo;
Meoque Pomonæque iuncto Numini
Pomœrium mutatur in Pomarium.

72 ST. CONSI AD CIRCVM MAXIMVM.

COnse, theatrali coleris vicinus arenæ;
Nempè in arena opus est sumere consilium.

73 STASICRATES SCVLPTOR.

ILle ego Stasicrates, operosa mente Colossum
Condere Alexandro præmeditatus Athon.
Dextera gestasset cumulatam ciuibus Vrbem
Læua suis Flumen grande tulisset aquis.
Inuidiosa tamen mihi vasta superbia Regis,
Maior ab ingenio noluit esse meo.

74 POLYPHEMVS.

HOspitibus pascor cæco Polyphemus in antro
Quis miseros nostris vnguibus eripiat?
Dextra recedentes numerat, reducesque capellas,
Exoculata mihi frons, oculata manus.

75 ST. PROCVSTIS.

COrpora iusta virum reddo malus arbiter æqui,
Amputo longa nimis, protraho longa minus.

76 SOSTRATES ARCHITECTVS.

ÆDifico Phariam Turrim, noua Sydera nautis,
Mille sub incerta Lumina nocte paro.
Sostratus inscribor surgenti ad nubila moli,
Me vocat è tumidis nauita mæstus aquis.
Nomina lapsa cadunt Regum, mea sola superstant,
Ceù sacra flamma Sali, ceù cynosura Poli.

77 HERCVLES CVM GLOBO.

FErt maris & terræ teretem Tirynthius Orbem
Paruulus in summa sede Cupido sedet.
Non labat Alcides tanto sub fasce, nec vnquam
Viribus Herculeis excutietur Amor.

78 ST. SIMONIS MAGI DEIECTE.

AStra petis, terramque tenes, mordesque cruento
Ore, nec exclamas, Africa te teneo.

79 ST. DEIECTA.

EXecrata suos Mystas e culmine Templi
Hypocrisis prono pondere pressit humum.
Si non sublimes ad Sydera sustulit alas,
Parcite, nam terris hospita nescit iter.
Dedidicit Superos, magicosque sequuta volatus,
Dum malè sana salit, præcipitata ruit.

HER-

80 HERCVLES ET ATHLAS.

PArcite, Mortales, ſtellis onerare Gygantas;
Et nitidos vmbris obtenebrare polos.
Pondera tot renuunt, noua ferre tot aſtra recuſant
Ille ſuis humeris, iſte ſuis numeris.

81 HEROSTRATVS INCENDIARIVS.

TEmplum Epheſi Triuiæ incendo, fundamina carbo
Fecerat, e proprijs carbonibus exit in ignes.

82 ST. LAIDIS.

PLuſquàm Helene Troiam Lais formoſa Corinthum
Arſit, & has flammas citò Græcia tota ſequuta eſt;
Donec in Æmonio miſeram Venus impia Templo
Contudit, vt veteris pompæ vix vna ſuperſit
Hydria, quã lacrymis miſerorum implebat Amãtũ,
Mortua quam geminis oculorum fontibus implet.

83 NARCISSVS IN FONTE.

NVnc in aquis viuo, perij Narciſſus in vndis,
Luditra me forma luſit imago meæ.
Deficio, fugit vmbra, ſequens manet vnda, cadentem
Noluit vmbra ſequi, noluit vnda mori.

84 ST. FÆMINÆ FVGIENTIS CVM HYDRIA.

VAs manibus Lais teneo, mea colligo vaſa
Et conuaſatis ſarcinulis fugio.

STAT.

85 STAT. GIGANTVM FVLMINAT.

EN coniuratos Cælum rescindere fratres,
Anguipedumque minas, centimanûque manus.
Iuppiter oppositos compressit fulmine montes,
Sub quibus æternum noxia turba gemat.
Terra parens punctum est, prolesque secuta parentem.
Sistitur in centro terra superba suo.

86 HERCVLES CVM LERNA FORMA MVLIERIS IN TABVLA MARMOREA.

SI meus infamem Lernam tremefecerat arcus,
Si què renascentem mea claua retudit, & ignis,
Reddita iam tandem mulier formosa superne
Me petit, heu perij, facta est mihi Lerna malorum.

87 PORSENA REX.

POrsena, vel Porsenna vocor; longiscere longè
Cocles me iussit, Scæuola corripuit.

88 METELLÆ SACRIFICIVM PICT.

PRæterijt Vestam, faceret cùm sacra Metellus,
Ac tulit iratos in sua vela Notos.
Placatura Deam se filia sistit ad aras;
Buccula pro pura Virgine cæsa litat.
Mira quidem sunt hæc hederis dignissima Grais.
Facta, sed in scena, vera, sed in tabula.

ATHLAS

89 ATHLAS CVM SPHÆRA.

ARduus in geminos obnixus Olympifer axes
Æqua suis humeris pondera fulcit Athlas
Fert cum Syderibus proprios iuueniliter annos,
Bis puerumque senem lacteus orbis alit.

90 ST. ARETVSÆ.

TAngo manu pudibunda comam, quia rustica dote
Corporis erubui, crinesque placere putaui.

91 ST. ARETVSÆ.

PArs ego Nympharum, quæ sunt in Achaide terra,
Nympha sub Alphei Flumine nuda nato.
Ardet amans Amnis, liquidosque repente soluta
Tranferor in latices, Orthygiamque peto.
Ille tamen propria mihi se se vt misceat vnda
Æstuat: heu dulces per mare quærit aquas.

92 VENVS SVPER VRSA IN FONTE.

VRsæ nixa Venus salientibus eminet vndis,
Iam natat affuso Parrhasis vrsa mari.
Quis tam securo non optet ab æquore mergi?
Spuma maris Venus est, Vrsaque stella maris.

93 LEÆNA HARMODII.

NE coniuratos cruciata Leæna loquatur
Cor habuit, linguam marmoris instar habet.

STA-

94 STATVÆ PORPHYRETICÆ HARMODII ET ARISTOGITONIS IN FORO VENETO.

POst Asiæ pelagique vias, Macedûmque triumphos
Sistimur in Veneto Signa verenda foro.
Contra purpureos Reges nos marmoris armat
Purpura sanguineis vermiculata notis.
Rex Hipparche, paue. Non pendes è Ioue solo,
Pendeat e nostra cum tua vita manu.

95 ST. PRIAMI.

INfelix Priamus natorum cædibus addor,
Atque mihi medio deficit igne rogus.
Facta canis nostris arcetur ab ossibus uxor:
Subsiliere canes; Omnia perdidimus.

96 ST. ROMVLI ET THESEI.

ROmulus & Theseus Monstris purgauimus Orbem;
Alter agit Claua, quod perficit alter Asylo.

97 ST. TRIVM FVRIARVM.

ADsumus Eumenides facibus, viuisque colubris
Armatæ inexorabiles;
Ludimus alternis iugulis, fratrumque cruorem
Canes cruentæ lambimus.
Iungimus Oedipòdem Matri, nataque Thyestem,
Sumusque semper Virgines.

MAR-

98 MARSYA EXCORIATVS.

INflasti nimium tibias, ò Marsya, nescis
Intra pelliculam te retinere tuam.
Nosce tuos Tibicen numeros. Quid desipis? Intus
In cute te nouit Phœbus, & absque cute.

99 ST. PLVTARCHI.

COnfero Romanos Graijs, committo duellum;
Pugnant pro Patrijs, pugno ego pro Patria.

100 STAT. B. V. ROSARII.

FRacta decent Reges Tyrio conchilia fuco,
Et recreant magnos dona Sabea Deos.
Pura tibi, Virgo, sinè sanguine purpura florum,
Et sine fumanti thure litatur odor.

PICT: STATVÆ, SEPVLCHRA.

101 PICTVRA EVROPÆ IN PORTICV.

POrticus Europæ cecidit, premiturque ruinis
Illa coronato vecta puella boue.
Sceptra manu cecidere, suis compressa laborat
Ponderibus, proprijs ensibus icta gemit.
Europa infelix! Laceris e mille coronis
Cui manet integrum nil nisi triste iugum.

PICT.

102 PICT. FLAGELLATIONIS IESV CHRISTI IN MONTE AVREO.

QVid tua molitur crudelis homuncio dextra?
Mille vijs humeros Altitonantis aras.
Ne diuina premas scelerum molimine terga;
Est præsens etiam post sua terga Deus.

103 ST. MOSIS IN ESQVILIIS.

VIrgam habet, ac tabulas; Diuinum zelat honorem;
Ius habet in virga, legem habet in manibus.

104 SEPVLCHRVM BACCHI.

HIc situs est Bacchus; ni credis, cerne Sepulchrum,
Vndique Delphines nautica turba gemunt.
Vos Satyri tristes, pateras inuergite plenas,
Ebria spumanti nectare busta fluant;
Sit tibi cura tui, dilecte Nepotule, Bacchi;
Desinet ille mori, si tibi cura meri.

105 BACCHVS IN CAMPO.

ROmuleo tumulabar agro; sed Villicus asper
Depulit e busto pinguia membra meo.
Non sat erat, si vina bibant è sanguine nostro,
Ni simul in nostris ossibus arua metant?

106 BOCCHVS REX IN VINEA.

VInea pampineis me frondibus ambit, & vuis:
Bocchus eram; vinctus palmite Bacchus ero.

STAT.

107 STAT. AMAZONIS.

ARdua quæ Virtus, quæ te fortuna coegit,
Ad Xanti ripas Penthesilea mori?
Scilicet, vt Paridi seruetur adultera coniux,
Fortis ab Æacidis cuspide Virgo cadet?
Hæc potius repetenda fuit, quàm rapta Lacæna,
Si caperes Helenas, Sparta superba, duas.

108 SEPVLCRVM AMAZONIS.

OMne solum forti Patria est: me sternis, Achilles;
Mortem sub pedibus Dij posuere tuis;
Omnia sub pedibus Dij posuere meis.

109 PICT. RAPTVS HELENÆ.

RApta, volensque sequor Paridē noua nupta Maritū,
Nempè sequor veterum dogmata. NVBE PARI.

110 CÆNOTAPHIVM HELIOGABALI.

HIc situs est Varius, meruit quàm molle Sepulchrum
Mollis homo, vitijs obrutus, haustus aquis.
Polluit assumpto sibi Solis nomine Solem,
Fœdauit tactam vile cadauer humum.
Siccine, Phœbe, tuos sepelis? Tuus iste sacerdos
Mergitur hoc fluuio, Natus in Eridano.

111 PICT. DEMOCLIS, ET DEMETRII REGIS.

INsilio feruenti unda spumante lebeti,
Vt fugiam furias, Rex truculente, tuas.
Propudiose nimis! Si te meus ignis adussit;
Veriùs elixum me tua flamma facit.

ST.

112 ST. SPVRINÆ ETRVSCI.

NOn sum Deiphobus lacer ora Spurina pudicus;
Nolo ego Tyndaridi, nolo placere Ioui.

113 ANTINOI CÆNOTAPHIVM.

ANtinous velut alter Hylas septemplice Nilo
Abripior Domino præda petita meo.
Delicias, Adriane, tuas latrator Anubis
Abstulit; heù canibus distrabor esca puer.
Conde Vrbem Antinoo, Nullum molire sepulchrum;
Nilus habet cineres, ossa relicta canes.

114 TVMVLVS SYCOPHANTÆ.

DIsiçiunt veterem tumulum mala robora ficus,
Hyantque scissa marmora.
Litera nulla docet, quod mollia germina clamant.
Hic Sycophanta conditur.

115 ST. ADRIANI.

PRimus Cæsar habes barbā, BARBATVS haberis
Cùm CINCINNATO Quinctius Antinoo.

116 ST. PROSERPINÆ.

SCeptra tenebrarum tracto Regina silentum,
Regnaque Persephones sunt Chaos, & Phlegeton.
At mallem siculos digitis decerpere flores,
Duraque frugiferæ Matris aratra sequi.

Iam

Iam Numa simpuuio mea surripit aurea dona,
Nec crepat ad stygias bractea fulua fores.
Iam nec opus summos morituris carpere crines,
Præripit hæc etiam nostra tributa Venus.

117 CHARON.

ECquid agam? Stygiæ cumulantur pontibus vndæ,
Et raros manes nostra carina vehit,
Frango leues remos, mea contraho vela paratus,
Si perdo Naulum, perdere Nauigium.

118 CHARON SVPER CYMBA.

IN puppi sedeo, moror omnias, carbasa pando;
Omnis enim ventus per phlegetonta bonus.

119 PICT. MEDEÆ.

VErsat opus crudele animo Medea cruento,
Fulgurat e vultu tractus Amore furor.
Læua efert puerum, ferrum fera dextera librat,
Blandulus arridet Matris ad ora puer.
Torua oculis ictum teneros designat in artus;
Cur furiosa suum dextra moratur opus?
Nunquid ne populo natos spectante trucidet?
Vis gladio ruat in vulnera? vade foras.

120 ST. BRENI.

AVrum me repulit, repulitque argenteus Anser,
Dum iuga Tarpeiæ rupis prærupta subirem.
Quis pudor est auri librato pondere pelli?
Me potius pudet heu; Quia Gallus ab Ansere vincor.

121 BRENVS DELPHIS.

SE Brenus Delphis iugulat, sed ridet Apollo,
Victima quippè fuit debita Mercurio.

122 STAT. BRENVS NOVVS.

GAllus erat, voluitque iterum comprehendere Romã,
Cui Sors currentes fregit in axe rotas.
Re malè confecta cessit, truncumque reliquit
Vociferans inter tympana tunsa caput.
Bis perijt; Nam quæ Gallo sola esse superstes
Vox poterat, streperis est iugulata sonis.

123 PICT. VENERIS NYMPHAM IRRIDENTIS.

REte resarcit acu, sed cuspide figit Amantes
Lydia, fert oculis spicula, tela, faces.
Quid Cytherea dolos nectentis retia rides?
Rete Venus caperis, Lydia rete capit.

124 SEPVLCHRVM ROSCII.

ROscius hic maneo, cælesti rore madesco
Roridus huc redeo, Ros super ossa cado.

125 PICT. DIDONIS.

HOspitia infelix Dido Troiana, fidemque
Damnat, & arrepto suscitat ense rogum.
Ah! Quid in externo fidebas hospite Troia,
Qui patrias poterat non nisi ferre faces?

Attu-

Attulit indigetes flammas, & vulnera certa,
Cui genitrice fuit Cypride frater Amor.
Debueras spolia miseræ spectasse Lacænæ,
Quas tibi præsagas aduena cessit opes.
Quam poteras sperare fidem? Data respice dona;
Ensis erat vestræ pignus amicitiæ.

126 PICT. RAPTVS NYMPHÆ.

CRinibus arreptis trahit ad se Phyllida Faunus,
Nymphaque semicaprum dentibus, vngue notat.
Ardua nimirum res est, parilisque pericli
Aure tenere lupum, crine tenere lupam.

127 ST. SEMIRAMIDIS.

PRoh pudor! ardet equum generosa Semiramis olim;
Regnat in Assyrio fœda Philippa throno.

128 ST. C. LATRONIS.

DIre latro, fur superbe, nostra secla sustulisti,
Sanguinemque combibisti, nocte clàm fugis cruente.
Iusta claua te moratur, alta furca te meretur,
Qualis Hydrus igne fumo, comprimeris, opprimeris,
Gloriose Rex Latronum, Vane Rex latrunculorum.

129 STAT. ANNIBALIS ET VLYSSIS.

FRaudibus armatum quisquis coniunxit Vlyssem
Annibali, potuit simul ipsas iungere vulpes;
De Mundi imperio certauerat iste; sed ille
Pro scopulis Itacæ. Meralis de paupere Regno.

130 EPITAPH. C. LATRONIS.

AH ! crepuit medius nullo Cacus Hercule dignus ,
Ebria quem Bromij vitrea claua necat.

131 PICT. VLYSSES, ET ANNIBAL.

MOntibus in ſiculis Polyphemum excæcat Vlyſſes,
Dux Lybies Italas oculum deponit ad Alpes.
Ambo Syrenes adeunt, ſed fune ligatur
Alter, & euadit, blandè diſcerpitur alter;
Denique Dux Itacus Patriã poſt monſtra reuiſit,
Annibal in Lybien ad ſua monſtra redit.

132 ST. ALEXANDER ET COLVMBVS.

GRæcia Alexandrum, parit Itala terra Columbum;
Ille cupit mundos, ſed capit iſte nouos.
Rex Pellæ, volas Gangemque Indumque ſalutas ,
Magne Columbe, nouo figis in orbe pedem.

133 ST. ARCHIMEDIS, ET COLVMBI.

LIgurque, Siculuſque inuenit Mundos nouos;
Vnuſque vitreos, & alter aureos.

134 ST. REX BIANOR OCNVS.

BIanor alter Rex bifrons Hetruriam
Promouit vltrà montium canas niues ,
Nouaque ſcutum protulit Prouinciæ;
Hæc eſt Bianoris vetuſta Regia,

Excel-

Excelſa Celſina, ſine ſele Felſina,
Omnique bono profluens Bononia
Viuat Deus, pereant mali homines, & Dij.
Quæ ſunt mala, mala ſunt; Bonaque ſemper bona.

135 CÆCVLVS REX FVNDATOR PRÆNESTIS.

QVi Prænæſtinas molitur conditor arces,
Concipit immenſas Orbis & Vrbis opes.
Prouidus ædificat Fortunæ tecta, ſuaſque
Cæculus in ſedes, te Dea cæca vocat.

136 ST. DARDANVS FVNDATOR CORÆ.

ILion aſſurgat Romæ, cui Dardane, præfers
Archetypum Romæ Mænia parua Coræ.

137 TABVLA DESCRIPTIONIS ITALIÆ.

ITaliam quernæ ſimilem procedere frondi
Atque hominis cruri compoſuere parem.
Crus tamen hoc poterat pede proculcare ſuperbos,
Atque triumphali cingere fronde caput.
Strata tamen iacet, vt folium Iouis arbore lapſum,
Cruſque cathenata compede vincla quatit.

138 PICT. VENERIS, ET ÆSCHILI.

TEſtudo Veneris pedibus capitique Poetæ
Iuncta, monet lento pergere fata gradu;
Nec Dea tuta domo, nec vates tutus in agro,
Si Mars tecta petat, ſi domiporta volat.

139 SAMSON IN FONTE.

HÆc maxilla mea manui fortissimus ensis,
Hoc bibo fonte, litas sanguine tergo notas.

140 ST. VIRGILII.

LAbra fauis examen apum texere Maroni,
Cuius Mellifluo nectar ab ore fluit;
Cum rem Romanam longum statuisset in æuum,
Parthenopen petijt, Persephonem tenuit.
Nil inuere faui falsæ Syrenis ad oras;
Fatum erat. Aut aures clauderet, aut oculos.

121 AQVILA IOVIS.

FVlmina fert, rostro, Ganymedem tergore portat
Ales, & hinc terras territat inde polos.
Par est fulminibus Troiani flamma puelli,
Nubilat hæc ipsos fumida Troia Ioues.

142 AQVILA BICEPS.

OMnia possedi victrix; nunc scissa relinquo
Sinciput Eois, occiput Hesperijs.

143 ST. REX PHLEGIAS.

SVbdo faces Phœbi templo, mihi quippè Coronim
Abstulit, & nostram violauit Apollo Coronam.
Improbus hac iterum pura se Daphnide cinget?
Non igitur tali Phlegias holocausta triumpho
Debita? Non tripodas adolebo, & Numen, & Aram?
Forsan & hoc ipsi est accendere lumina Soli.

ST.

144 ST. METIVS SVFFETIVS.

Meti, quadrigis alligaris perfide,
Prædator infamis: Tua ne sic subtrahis
Vexilla pugnæ? Diuidisque vt imperes?
In frusta distrahendus alios distrahis.

145 ST. CORONIS PHLEGIÆ F.

Ferte citi flammas, Phœbum vrite; amata Coronis
Nigra volo cornix; Me fumus Apollo sequatur.

146 SAMSON EX HERCVLE.

Maxillifer non clauiger
Samson Leonem contudit,
Postes reclusit arcium,
Portasque secum transtulit.
Plantarunt orbis vltimas
Graius columnas Hercules;
Maiore Samson Gloria
Cadens columnas sustulit.

147 ST. ÆSCHILI.

Æschilus hic primùm tragica testudine doctus,
Alta cothurnatos efferre in pegmata Reges;
Dum sua per campos fugeret labentia fati
Sydera, deciduò teritur testudinis ictu.

148 MARS ET VENVS EX MARMORE.

HI duo Marmorei sua furta loquuntur Amantes,
Dum sua solliciti tractant fabrilia fabri.

149 ST. PROTOGENIS.

TOllere de tabula nescis pigmenta, manumque,
An pro picturis plastica signa facis?
Parce superiectis cumulare coloribus ora,
Lysippum fieri desine Protogenes.

150 SAMSON IGNIFER.

CApto mihi vulpes, ligo caudas, indo favillas;
Ac socijs messes alienas ignibus vro.

151 SAMSON MELLIFER.

E Comedente cibos, & aperto ex ore leonis
Mellificante fauo, Dal forte il dolce io cano.

152 ST. PARCÆ.

PArca fui, nunc Eua vocor, filamina prima
Neui hominum vitæ, nunc vltima colligo fila.
Parca fui, nunc Eua vocor: fæcunda dolores
Sustinui, patior longos efœta labores.

153 ST. NEMESIS EX LEDA.

FIt Nemesis quæ Leda fuit, Dea scilicet alas
Fert humeris, gremio quas Ioue pressa tulit.

DE

154 DE EADEM STATVA.

E Leda in Nemesim vertor; Nunc Lædere Leda
Audeo, nunc Nemesis Lædere Læsa volo.

155 DERCETO MATER SEMIRAMIDIS.

NAscitur in sylvis, & nata Semiramis, à me
Fertur alenda auibus, traditur esca feris.
Fæmina destituor verbis, fugitiua recondor
Mersa lacu, fio piscis, ad astra volo.

156 ST. FLORÆ.

LApsos Flora gerit flores; Floralia cessant;
Porrigit arentem lætis pro floribus herbam.

157 NARCISSVS CLAVDII LIBERT.

FLoreo Narcissus, defloreo flos Hyacinthus,
Mæstaque subscripto litera flore gemo.

158 ST. HOMERI PRO TERMINO IN CAMPO.

IN Latium ducor, traducor in auia cæcus,
Et cum perdiderim lumina, perdo pedes.
Limes agro statuor, quia pauper, Et Atria clamant,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

159 ST. AVGVSTI CVM AIACE.

IMpetit Aiacem, lacerat sua viscera Cæsar;
Magnum fecit opus, non opera pretium.

160 STATVIS VELATIS, ET NON VELATIS.

MAtronis femina obuelant; nudantur Ephæbi,
Omnia mors æquat, quæ tegit, aut spoliat.

161 SEPVLCHRVM ROSILDÆ.

HVc Rosa proiecta es, proiecta vilior alga;
Protinus heu vepres occuluere Rosam,
Spinæ igitur diris semper natalibus ortæ
Aut condunt flores, aut feriunt Veneres.

162 SEPVLCHRVM ROSÆ.

PArca mei quondam, nunc prodiga corporis esca
Vermibus hic iaceo: sum rosa rosa ROSA.

163 SEPVLCHRVM PHYLLIDIS.

QVæ nunquam voluit dùm vixit sola iacere
Phyllis, in hoc tumulo denique sola iacet.

164 SEPVLCHRA NANI.

PAruum parua decent; Tumulum ne sperne pusillum;
Parua mihi paruo cum Patre Mater erat.
Me tamen immensis mors æqua Gygantibus æquat,
Et Magnam Matrem mortuus inuenio.

EPI-

165 EPITAPH. NANI.

HIc est homo breuissimus,
Princeps minorum gentium.

166 EPITAPH. PVSIONIS MILITIS GERMANI.

PVsio subuertit iactato mœnia saxo:
Sisyphon hunc repulit Regia Persephones.

167 ST. RHADAMANTI.

IVre suo Rhadamantus habet durissima regna,
Lex vbi non regnat, Iuris & ordo silet;
Quippè dolos durus Iudex castigat, & audit
Verbera prompta priùs, verbaque posteriùs.

168 ST. ICARI.

DVm volo credor auis, dum labor in æquora piscis;
Sum bipes, implumis; penè Platonis homo.

169 ST. DÆDALI.

NEcto mihi pennas, labyrinthi eludo recessus
Dædalus, includi carcere nolo, volo.

170 CAPVT CICERONIS EX METALLO.

OBmutuit percussus olim Tullius,
Post fata rursus personat; videlicet
Factus sonans es, cymbalumque tinniens.

171 ST. MORTIS IN SEPVLCHRIS.

STantia pro tumulis ſimulacra abſcedite mortis ;
Spectra quid hic faciunt, Mors vbi vera volat ?

172 SEPVLCHRVM SYPHACIS TIBVRE.

DIgna Sophoniſba, es thalamo, tumuloque Syphacis ;
Indignus molli Tibure, dure Syphax .

173 ST. MÆCENATIS CVM POETIS.

HInc Flaccus lacrymans, hinc me Maro ſtipat anhel-(lans;
Cur ego non lœter? Me nemo beatior vſquam
Inter tot lachrymas, inter ſuſpiria vixit .

174 TELEGONVS FVNDATOR TVSCVLI.

ALcinoi quas delicias vix guſtat Vlyſſes ,
Telegono æternum Tuſcula terra parat .

175 P. ROSA:

VIue Triumphato, Princeps Roſa, Maior Olympo,
Digna Nurus Latias, Vincere digna Socrus.

176 CVPIDO DORMIENS IN PELLE LEONIS.

FEſſe ſuper Nemeum requieſce, Cupido, Leonem
Tu vigilas clauſis oculis, Leo dormit apertis ;
Quis modo ſtertenti ? quis cæco fidat Amori ?

ST.

177 ST. AVNI.

INſidioſe Latro, ſpoliatos fingis amaſſe;
Nudus Amor nobis; ſed tibi crimen Amor.

178 DAPHNE FVGIENS.

NEſcio quid ſit Amor, tantummodo lubrica noui
Currere, quippè fugax currenti e Flumine naſcor.

179 DAPHNE TRANSFORMATA.

NYmpha leuis fugio, latitanſque ſub arbore condor,
Me coma, me cytharæ, me ſtringit Apollo, meoſque
Ardet in amplexus, iterumque in Apolline viuo.

180 LAMPSACIDES PALLIATVS IN MVSEO CAS.

RAdo caput, & induo quadratum pallium;
Aliena quadra me facit Philoſophum.

181 PAN IN FONTE.

AVt bibat, aut abeat, procul hinc quicunque fameſcit;
Pane nequis ſolo viuere ſed bibere.

182 SATYRVS BIBENS.

ADmouet hirſutis Pan ruſtica pocula labris,
Et quaſi de gemma precioſos hauriat hauſtus,
Cornibus extantem videt extra pocula caprum.

EPI-

183 EPITAPHIVM SATVRNI.

DOrmiịt instrato senior Saturnus in auro,
Ah miser! In plumbo nunc requiesce tuo.

184 EPITAPH. OPIS.

IN Latio latuit, Saturnia subdidit hastæ
Regna; Sed exulat Ops, ne moriatur inops.

185 THERSITES.

SCeptrum humeris gessi, quo me distorsit Vlysses
Promptum purpureos Reges proscindere lingua.
Hos habuit Brutos Agamemnonis aula loquaces.

186 ST. SERVI VERBERATI.

VIrgis cæse puer, potes hoc in marmore læsus
Scribere, Cùm crepitant verbera, verba silent.

187 ST. SERVI SACRIFICANTIS.

NVllos rite Deos per compita Seruus adorat,
Supplicat Heroi, si malè seruit hero.

188 EPITAPHIVM HIRTII, ET PANSÆ IN CAMPO MARTIO.

PAnsa pedes pansos, & crines Hirtius hirtos
Liquit Felsineis exanimatus agris.
Huc tamen amborum citò detulit ossa Senatus
Prouidus Augusto quid sua fata ferant.

Nam

Nam cadit his Ducibus Respublica tota, suæque
Condit libertas hic caput, atque pedes.

189 CÆNOTAPHIVM TIBERINI REGIS.

ALbula me sepelit. Nequeo Tiberinus ab vrna
Nobiliore capi, splendidiore tegi.

190 ST. ÆGYPTI.

SVpplicat Ægyptius pro Cæli Numine Nilo;
Indiget haud alio barbara terra Ioue.

191 CAMPVS SANCTVS EX TELLVRE AGRI HACELDEMA.

TErra peregrinis quæ nos capit hospita bustis,
Campus erat Figuli, sanguinis indè fuit;
Omnis ab æternis manibus compacta rotatur,
Mox redit ad Figulum terra soluta suum.
Nos animat quasi vasa suo Deus ore suoque
Sanguine vult nostro se sociare luto.

192 SEPVLCHRIS PEREGRINORVM COM.

NAtos remotis hospites Prouincijs,
Hæc vna reddit terra conterraneos.

193 ST. ROMÆ SVPER SEPVLCHRO.

ROma vetus Veteri superest affixa sepulchro;
Nempè caput Mundi est iam capulare caput.

PICT.

194 PICT. I. C. LAVANTIS PEDES DISCIP.

OBsequijs lenire ferum si possit Iudam
Tentat humi valido stratus amore Deus;
Restituenda suo capiti notat oscula plantis,
Has lauat, & liquidas fletibus auget aquas.
Cur pia non potuit fabrefacta compede lympha,
Stringere sacrilegos conglaciata pedes?
In glaciem fortasse rigens concreuerat vnda,
At Domini calidis desilijt lacrymis.

195 ST. IVDITH.

ASsyrio congressa Duci caput amputo, nescit
Nec dormire sibi, nec vigilare mihi.

196 PICT. IOSEPH PATRIARCÆ FVGIENTIS.

HEu rapior Domina, fugio, vestemque relinquo;
Nota sit inspecta pessima veste fera.

197 PICT. B. V. SACROSANCTA SYNAXIM

A FILIO RECIPIENTIS.

QVid non cogit amor, Si Christum denique cogit
Matris in accessum rursus adire sinum?
Filius ad Matrem venit hostia factus Amoris,
Hostia qui mortis mox erit antè Patrem.
Dum Pater, & comites refugi, te Christe, relinquunt,
Ad quæ confugias viscera Matris habes.

FIL.

198 FIL. B.V.

AD Matrem fugio, non vt solatia quæram;
Perfero maiores in Genitrice Cruces.

199 TVMVLVS AVTORIS SVB IMAG. B. VIR:

SVb pedibus Magnæ Matris Marianus humatur:
Ne penitus iaceam da mihi, Virgo, Manum.

200 PICT. B. V. GRATIARVM MANTVÆ.

TAnge Puer Matrem; digito vis tangere Cælum?
Porrige lacteolam Matris ad ora manum.
Vult dare, nec dare vult blandus Puer oscula Matri;
Os timet in Cælum ponere, Diua, tuum.

Illustrissimo

CYRO DE PERS DOMINO. EQVITI HIEROSOLIMITANO.

HAec signa sunt Quiritium
Expressa paruis Distichis,
Quae, Cyre, do tibi; Meo
Appendo plectrum Apollini.

STATVIS ROMANORVM DISTICHA.

LIBER TERTIVS.

1 REGVLVS.

FOrtia qui feci, patior fortissima punctim
Transfixus; Punctum scilicet omne tuli.

2 CAMILLVS.

VEios post decimum tandem nos cepimus annum:
Sparta erat hæc alijs, quæ mihi Troia fuit.

3. AFRICANVS.

IN Patria Patrem deduxit Scipio cæcum:
Alter hic in Patriam deduxit Scipio Luscum.

4 AFRICANVS MINOR.

REs nostras seruate Dij; seruare Deorum est;
Sit res Romanas amplificare meum.

5 CÆSAR.

ECce Dioneo procedit Sydere Cæsar;
Nempè suo dominata Venus cum Cæsare regnat.

6

ROMVLVS QVIRINVS.

Non è ſyderibus nomen, ſed ſumis ab haſta;
Scilicet arma magis, quā ſydera, Romule, noras.

7

TATIVS.

Ex Tatius cum fratre Remi gero ſceptra; Superbus
Ferre recuſauit fratrem, me pertulit hoſtem.

8

NVMA.

Totus eram Numen, nulla eſt ſinè Numine Roma,
Et nullum Numen Numinis abſque Numa.

9

TVLLVS.

Elicuiſſe volo Cæleſti è ſede Tonantem,
Sed Iouis elicio fulmen, & intereo.

10

ANCVS.

Oſtia Tyrrheno Tyberina in littore condis;
Gratulor, Anconam conſtruis, Ance, nouam.

11

TARQVINIVS PRISCVS.

Non licuit Patriam nobis habitare Corinthum,
Regna quibus Romæ Dij meliora parant.

12

SERVIVS.

Occidi Socerum patior, Generoque trucidor
Seruius, & Reges diuido Tarquinios.

TAR-

13 TARQVINIVS SVPERBVS.

TEndis ad Euboicas arces, petis antra Sybillæ,
Dædalus vt lateas, Icarus vndè cadas.

14 IVNIVS BRVTVS PRIMVS COS:

IMpatiens Regum patitur succedere Iulos,
Sustinet Augustos; cur? Quia Iunius est.

15 L.TARQVINIVS COLLATINVS COS:

PVgno pro Patria, sed priuor coniuge. Consul
Fio; Quid expectas? Protinus exul ero.

16 C.PAPIR. P.M. ET L.PAPIR. CENS. PRIM.

POntificum primus post Reges esto Papiri;
Alphaque Censorum prima Papirius est.

17 SP.LVCRETIVS COS. PATER LVCRETIÆ.

FAsces capit, sed nil agit Lucretius;
Parum nè fecit, qui tulit Lucretiam?

18 M. HORATIVS PVLVILLVS COS:

NAtum effero, simulque sacro Puluillus Iouem.
Stat nostra puluis ante puluinar Iouis.

19 VAL. PVBLICOLA LACTVCIN. COS:III.

HOc pacem cum Poplicola Rex Porsena sancit,
Lactucas similes næ labra Regis habent.

20 ST. HORATII COCLITIS IN ÆDE VVLCANI.

PAr pedibus Vulcane tuis licet impar oberrem;
Omnibus haud impar hostibus hostis eram.

21 SP: LARGIVS ET HERMINIVS COSS:

RVfus, & Herminius nostrum pessundamus annum,
Et quia nil agimus nomina perdidimus.

22 PVB: POSTHVMIVS PRIMVS OVAT.

NOnnè meos fastus ordiri dicar ab ouo,
Si primum myrto tempora cinctus ouo?

23 LARTIVS PRIMVS DICTATOR.

LArgius vt regnem mihi tradita summa potestas,
Trado alijs equites, cogar vt ire pedes.

24 SP. CASSIVS PRIMVS MAGISTER EQVIT:

PRimus equos frenare, equitesque in bella ciere;
Nulla meis pono frena cupidinibus.

25 A. POSTHVMIVS DICT: ET MANLIVS COS: III.

VIncitis heu, Nati; malè sed pugnatis; & æquum est,
Patrès ab imperio qui cecidere cadant.

26 MANIVS VALERIVS MAXIMVS.

ESt pugnare labor magnus, sed vincere maior;
Maximus est plebi Conciliare Patres.

AGRIP-

27 AGRIPPA MENENIVS LANATVS COS:

PAtribus adduco Plebem, Quasi purpura fulget
Inter pellitos hæc mea lana Patres.

28 BELLVTVS PRIMVS TRIB: PLEB:

BEllutus dicor primus de plebe Tribunus;
Bellua multorum nam populus capitum.

29 BRVTVS ET BELLVTVS.

BEllua Belluto dat nomina, Brutaque Bruto.
Inserit ista suis primùm Respublica fastis.

30 GEGANIVS MACERINVS COS:

NOmina de fastis infausta euelle Gegani;
Consule te macerat nos, Macerine, fames.

31 M. MINVTIVS AVGVRINVS COS:

QVod pretium farris minuisse Minutius olim
Prædicor; e minimo Maximus efficior.

32 SP: NAVTIVS COS: IN CORIOLANVM.

MAtres cum lachrymis, non Patres Nautius armat;
Hæc magis in ciuem scilicet arma decent.

33 CORIOLANVS.

DVm Patriæ parco, velut hostis ab hoste trucidor;
Quique mihi vellet parcere, nemo fuit.

34 SP: CASSIVS VISCELLINVS COS:III.

A *Vcupio Regnum capto, volo Romulus esse,*
Hunc perimunt Patres, me Pater interimit.

35 K. FABIVS QVÆSTOR, ET Q. FABIVS COS:

T *E, Cassi, damnat Fabium genus Hercule natum;*
Ergo suum Fabijs fata dedere Cacum.

36 P. MVTIVS SCÆVOLA TRIB: PLEB:

N *Quem Tribunos solus igne punio;*
Certè hoc aliud est, quàm vstulare sibi manum.

37 SP. SERVILIVS ET Q. SERVIL: STRVCT: DIC.

S *Tructi destruimus Veios, capimusque Fidenas;*
Construimus Patriam, cætera destruimus.

38 T. BARBATVS COS: VI. DE ANTIAT. TRIVM.

N *On ègo Barbatus, sed Cincinnatus habebor,*
Si tangam crines Antia Diua tuos.

39 L. QVINCTIVS CINCINNATVS DICT:

L *Inquo boues, & aratra, ferorque armatus in Æquos,*
Adque boues missis transeo rursus equis.

40 T. ROMVLIVS COS:

L *Egum latores, & leges addidit armis;*
Nunc age Romulio, Romule, cede togam.

T. PE-

41 T. PENO, ET C. MENTO COS:

P *Vgnamus ambo Consules, sed frigidè:*
Pugnare non possumus aliter in Algido.

42 A. CORNEL. COSSVS COS:

C *Ossus opima fero tibi, Mars, vt nostra secundes;*
Arma tibi, strato Rege, secunda fero.

43 Q. SVLPITIVS CORNVTVS TRIB: MIL:

H *Ostica Sulpitius ferro depascor, & igne;*
Scilicet in cornu fœnum habeo, ignem habeo.

44 C. SVLPITIVS GALLVS.

V *Xorem dimitto foras, quia prodit aperto*
Flamine, communemnolo ego cum populo.

45 FABII TRES LEGATI AD REGEM SENON.

R *Omam tres Fabij Senonum traxere fauillas;*
Vrbs tribus Ambustis vritur à Fabijs.

46 BRENVS REX.

C *Ensus & incensus populus Censore notetur;*
Vrbis at incensæ nomina Brenus habet.

47 M. PAPIRIVS CONSVLARIS.

G *Alle mihi barbam mulces, tibi scipio noster*
Mulceat impexam, Galle Comate, comam.

CAS-

48 CASSIVS MELIVS MANLIVS.

CAssius, & Melius, dein Manlius esse cupit Rex;
Tres æquata solo comprimit æqua domus.

49 L.SEXTIVS PRIM. E PLEBE COS.

SExtius hoc. Moneo, valeant Regesque Patresque
Qui melior populis imperet ille suis.

50 SP: CAMILLVS M.F. PRIMVS PRÆTOR

VEiorum, Senonumque Pater diuiserat arma,
Primus ego nostris diuido Iura foris.

51 FABIVS AMBVST: COS: DE TIBVRT: TRITMP:

TIbur ad Herculeum propero satus Hercule Consul;
Vina voluptatum monstra domare meum est.

52 FABII AMBVSTI.

DIcimur Ambusti, quia cæli tangimur igne;
Non nisi supremos feriunt sacra fulmina montes.

53 DECIVS MVS PATER COS:

SI cado, si persto, semper mea Roma superstat;
Sique perit Decius, Mus perit exiguus.

54 C.MENIVS DE LATIN: TRIVMPH:

ROstra Latina tuli, statuasque ad rostra refixi,
Non deerunt statuis grandia verba meis.

L. PA-

55 L. PAPIRIVS CVRSOR COS:

Æ Quat Alexandro generosos Roma Quirites,
At solus Cursor præmia prima fero.

56 VETVRIVS, ET POSTHVMIVS CAVDINI.

C Audini deforme iugum quasi bruta subimus;
Heù quales caudas in Patriam trahimus.

57 L. LENTVLVS CAVDINVS LEGATVS.

F Erre feror caudam, quia fædera fæda suasi;
Ista sed anguillæ lubrica cauda fuit.

58 PLAVTIVS VENOX CENSOR.

V Enox qui primus venas scrutabar aquarum;
Et Venox multæ noctis alumnus eram.

59 IVN. BVBVLCVS, ET ÆMIL. BARBVLA COS.

B Arbula barbigeris gregibus capit herbida Sutri
Pabula, tu solo caperis Bouiane, Bubulco.

60 Q. MARTIVS TREMVLVS.

E Xuo ter castris hostes, ad Castoris adsto;
Non tremo, sed viso castra tremunt Tremulo.

61 T. MINVTIVS AVGVRINVS COS.

T Res video Soles, & raptus in arma repentè
Tergeminam moriens cogor adire Deam.

SEM-

62 SEMPRON.SOPHVS CONTRA ÆQVOS.

Esse Sophus dicor, quoniam Sapientia prima est,
Vt metuat nostros Æquus iniquus equos.

63 VALERIVS CORVVS VI.COS:

Corue Senex, iam non rideberis inter olores,
Postquam canitiè factus es albus olor.

64 PÆTVS COS: DE NEQVINAT. TRIVMPH.

Perdere, Pate nequam, potuisti fraude Nequinum
Glorior Imperio Narnia facta tuo.

65 DECII MVRES PATER ET FILIVS COS:

Terra Latina Patrem, Natum possedit Etrusca;
Non vno gaudent Mures habitare sub antro.

66 M.ATILIVS REGVLVS IN VOLSONES.

Regulus hoc vnum doleo Iustissimus esse;
In Volsos, æquo Marte quod arma fero.

67 FABIVS GVRGES CONTRA PONTIVM.

Ecce super Pontem Gurges feror altus, & vndas
Sanguinis, euerso Ponte, superbus ago.

68 L. POSTHVMIVS COS: III.

Miles noster humum fodit mea signa secutus;
Vt cum Posthumio Posthumus arma ferat.

TIB:

69 TIB: CORVMCANVS COS: ET PONT:

E *Plebe Primus Pontifex Coloniam*
Deduco Castrum; Quis reueller Pontifex?

70 P. LÆVINVS COS: ET DEXTER MILES.

S *Ternere Læuinus Pyrrhum, spoliareque Dexter*
Crediderant. Neutrum Numina Læua sinunt.

71 AP: CÆCVS COS: II.

F *Ædera cum Pyrrho quid turbide discutis Appi?*
An nubes veluti Cæcia, Cæce, moues?

72 P. DECIVS MVS COS: IV.

P *Yrrhus Achilleides animosus imagine Patris.*
Heu contra Murem Gloria Myrmidonum.

73 DOLABELLA MAX:

M *AXimus exscindo Senones, vt nemo supersit,*
Dicere qui valeat; Nos captæ illusimus Vrbi.

74 C. FABRITIVS LVSCINIVS.

F *Abritij simulacra silent, quia facta loquuntur;*
Facta dabat, nullo tempore verba dedit.

75 PYRRHVS REX.

B *Is pugno cum Romanis, victorque recedo;*
Tertia si vinco prælia, victus ero.

MA-

76 MANIVS CVRIVS DENTATVS COS:

OPposuit Curium Pirrho iustissima Roma;
Consule Dentato voluit lacerare Molossum.

77 PAPIRIVS CVRSORIS FIL: COS:

GNomone constructo extremam Samnitibus horam
Nuntio, de victis summa trophaea fero.

78 P. SEMPRONIVS SOPHVS.

PRessa Sopho tremuit tellus, ac terruit hostes,
Intrepidus terris Sapiens dominatur & astris.

79 FAB. PICTOR DE VMBRIS TRIVMPH.

PIctoris Fabij qualis Pictura, triumphus
Talis, & oppositis lucem quaesiuit ab Vmbris.

80 GN. CORNELIVS ASINA COS.

SVbdola me vulpes capit Annibal, atque remittit;
Nam laudem capta non capit ex Asina.

81 C. DVILIVS COS:

ERige rostratam mihi primus in Vrbe Columnam;
Plus vltrà nostram nulla Columna prait.

82 A. ATILIVS CALATINVS COS:

VInco, sed obsideor; Mea sunt Lelybaus, & Enna, (put.
FLAMMA meū seruat, quod petit Ætna ca-

CATI-

83 C. ATILIO REGVLO SERRANO.

R*Vra feras, seu dura feces, Ianumue recludas,*
Es fator, es clausæ ferrea serra feræ.

84 ANNIBAL SENIOR.

V*Ictum Sarrano lapidas me, Punice miles;*
Sic omnem, amissa classe, moues lapidem?

85 L.METELLVS REGVLVS.

S*Erpentes Vinco, sed vincor vinctus ab Afris*
Regulus in Colubros iustius arma fero.

86 L. METELLVS COS:

G*Lorior ignotos Elephantas vincere primùm,*
Et coniuratos in mea vela notos.

87 C.LVTATIVS COS:

N*On hæsit in vado, aut luto Lutatius,*
Classem profundo punicam mersit mari.

88 T.MANLIVS TORQ: ET CALAT: COSS:

V*Nica Consulibus nobis ea gloria fertur,*
Claudere, Iane, tuas, & reserare fores.

89 SP.CARVILIVS RVGA CONTRA SARDOS.

R*Vga fui, rugis tetricos tamen explico vultus,*
Rideat vt risus insula Sardonios.

C.PA-

90 C. PAPIRIVS MASO.

ORnat in Albano me Myrtus Corsica monte;
Si fieri Cursor non queo, Corsus ero.

91 C. ATIL. REGVLVS, ET L. ÆMIL. PAPVS COS:

QVot pedites, equitesque Papus, quot Regulus armăt,
Vix capit historia, vix capit Italia.

92 L. ÆMILIVS PAPVS.

ME Papus accingo, discingo balthea Gallis,
Et Capitolino debita soluo Ioui.

93 P. FVRIVS PHILO COS:

CVr nos Togatos hostes expolias Philo?
Non est amicus nostra qui tollit bona.

94 C. FLAMINIVS COS:

INauspicatè pugno, sed spolia lego,
Quot macto Gallos, tot habeo auspices bonos.

95 T. SEMPRONIVS LONGVS.

BEllũ horrendum ingens iterũ Dux Annibal infert
Consule sub Longo; non erit ergo breue.

96 C. MARCIVS EQVES.

PRostratis Ducibus Legiones erigo; Belli
Fulmina dum cessant, Marcia flamma praeit.

C. TE-

97 C. TERENTIVS VARRO COS:

TRistibus auspicijs pugno, victusque recedo,
Varro, nolo Deis cedere, cedo dolis.

98 FABIVS MAXIMVS.

HOsti necto moras, hostis sibi nectit amores,
Sic Romam teneo, nam mihi Roma mora est.

99 M.MARCELLVS IN SYRACVSANOS.

PArce Archimedi Marce; Quid Sacraria
Virtutis ædificas, & ipsam destruis?

100 FAB.MAXIMVS,ET CLAVDIVS NERO.

TAm longa vicere mora, quàm præpete cursu
Annibalem Fabius, Claudius Asdrubalem.

101 LICINIVS DIVES COS:

DIues eram, factus pauper, quæ nomina nollem
Hæc fero, diuitias quas volo non habeo.

102 M.SERVILIVS PVLEX COS:

BIs decies, & ter iugulat Seruilius hostem;
Quis stupor! Humano Pulex se sanguine pascit.

103 SEMPR. LONGVS COS. CONTRA BOIOS.

NOn vinco, nec vincor, & hostes pello, repellor,
Obscurus sic, nec breuis esse queo.

104 MANIVS ACILIVS GLABRIO COS:

PRimus inaurauí non aurea ſigna Parentis;
Condo mei generis Glabrio Glabritiem.

105 SCIPIO NASICA COS: BOIOS VICIT.

ODit Semiuiros, & amat Naſica Cybelem;
Quos odit Gallos, Barbara Mater amat.

106 FVLVIVS NOBILIOR Muſas Zeuſis attulit.

ENnius & Muſæ noſtris plauſere trophæis,
Ad bellum duxi Vatem, Muſaſque reduxi.

107 GN: MANLIVS VVLSO COS:

BArbara Luxuries Aſiano inuecta triumpho
Romanas etiam depopulatur opes.

108 M. ÆMILIVS LEPIDVS CENS:

LVſtra Senatorum Princeps numeroſa reuoluo,
Luſtrum alijs condo; ſed mihi plura lego.

109 L. SCIPIO ASIATICVS.

TErtia pars Mundi noſtros ingreſſa Penates
Extorrem patria me facit eſſe domo.

110 M. LIVIVS DRVSVS.

MActo Ducẽ Drauſum, Druſi fero nomen, & aurũ,
Quod rapuit Breni Libra, reduce domum.

F. LA-

111 F. LABEO COS:

D*Imidias petij naues, ſciſſaſque recepi;*
Pluſquàm dimidium qui benè cepit habet.

112 GN:BÆBIVS TAMPHILVS COS:

D*Vm petit hora quota eſt, extremã Tãphilus horam*
Occupat; eſt præſens, & petit, Hora quota eſt?

113 Q. FVLVIVS FLACCVS CENS:

D*Etego Iunonem, fortunam contego, demens*
Fio; Quid hæc feci? Stultior antè fui.

114 M. POPILIVS LÆNAS COS:

F*Ædum aperit populo, me Conſule, Flora lupanar;*
Læno fui Lænas, Floraque Læna fuit.

115 LÆNAS, ET ÆLIVS PRIMI COSS: EX PLEB:

Æ*Lius & Lenas, e plebe creamur vterque;*
Æquamus veteres nos duo Patricios.

116 GN. OCTAVIVS COS:

P*Rimus ego Conſul noſtra de gente Quid egi,*
Si quæras; Dignam Conſule condo domum.

117 IVVENT: COS: DE CORSIS. Triumphaturus.

P*Ræ gaudio lecta morior Epiſtola;*
Perſto ſub armis, decido ſub Literis;

118 C.MARTIS FIGVLVS.

P*Erdere Dalmaticas Laurus, aut carpere nostrum*
Est opus, est sortis quisque suæ Figulus.

119 LVSCVS PRIMVS COS: KAL: IANVARII.

P*Rimus cum Iano Titus Annius incipit annum,*
Plus alijs vno lumine, Lusce, vides.

120 M.CLAVDIVS MARCELLVS III.COS:

C*Laudi, ter Patriæ puppisque & prora fuisti:*
Nec super vlla tuo est ancora naufragio.

121 L.CORN. LENTVLVS LVPVS CENS.

A*Ntè peculatus damnor, sed posteà fio*
Censor, vt in numerum cogat ouile lupus.

122 L. MVMMIVS ACAICVS.

A*Ctum agis, ò Mummi, quos ense Metellus Achiuos*
Messuit, hos spolias, sic aliena metis.

123 AP.CLAVD.PVLCHER COS:DE SALASSIS T.

N*On tuus, at Vestæ fuerat, nataque triumphus;*
Imo tuus, proprio quem facis ære tuum.

124 C.LÆLIVS SAPIENS.

L*eÆlius afflo meum, quasi Dælius alter, Amicum;*
Redditus alter ego, redditur alter homo.

G C.HO-

125 C. HOSTILIVS MANCINVS COS:

TRaderis hostibus, Hostili; quia fœdera sancis;
Quisquis amat pacem est Martis in Vrbe reus.

126 D. BRVTVS GALECVS.

PRætereo terræ fines, & flumina lethes,
Nulla manet signis vltima meta meis.

127 Q. LVCRETIVS VESPILLO ÆDIL: CVRVL.

ÆDes procuro, Gracchi procuro cadauer
Tiberi Tyberium condo, mactatum lauo.

128 CALPVRNIVS PISO FRVGI COS:

FIli, Pro meritis titulum tibi dono Corona,
Ista Patris frugi prodiga dona cape.

129 P. RVPILIVS COS:

PVblica curabam qui vectigalia dicor
Consul, vt expellam fugitiuos Latro latrones.

130 P. LICINIVS MVTIANVS IN ARISTONIC.

TRax, vt me iugules, oculum tibi detraho virga;
Scilicet antè oculos nolo perire tuos.

131 M. PERPERNA COS:

ATtalicas Romam Gazas, Regemque reduxi,
Et damnor, quoniam non benè ciuis eram.

132 Q. FABIVS ALLOBROGICVS.

ME quartana fugit dum pugno, & millia centum
Gallorum medico nuncupo vota Deo.

133 L. OPIMIVS COS:

OPima referunt Spolia, qui Reges necant;
Graccho perempto macra fert Opimius.

134 L. METELLVS DIADEMAT: DALMAT. COS:

REgna mea frontis, veris permuto triumphis,
Sumoque Dalmaticam posito Diademate, Laurum.

135 FABIVS EBVRNVS PVLLVS IOVIS COS:

FVlmine qui tangor, natum mea viscera macto;
Nolo Iouis pullus Veneri genuisse Columbas.

136 METELLVS NVMIDICVS COS:

NE Saturnini subscribam legibus, Vrbem
Desero, ne vertam mania, verto solum.

137 L. CALPVRNIVS BESTIA COS:

LVcius in Numidos Elephantas mittitur ingens
Bestia, qua Numidum nummos agnoscit, & aurum.

138 GN: PAPIRIVS CARBO.

INuehor in Cymbros Gens candida quippè notari
A Carbone potest, me tamen alba notat.

M. ÆMI-

139 M. ÆMILIVS SCAVRVS COS:

PAuper Patricius vixi, viuoque Beatus;
Dum mihi fortunæ calculus omnis abest.

140 SCAVRVS CENSOR ET RVLLVS.

SCaure, vetas paruos mensis apponere glires
Rulle, doces solidum ponere primus aprum.

141 C. MARIVS COS:

QVid implicatis manibus astas ô Mari?
Manus manum fricat cruenta, non lauat.

142 CATVLVS COS: CVM MARIO.

VVlt Catulum Collega mori: canis improbus ille est,
Dissimilis canibus, dissimilis Catulis.

143 CINNA ET CARBO COSS:

SVccessit Cinnæ Carbo feralia Romæ
Nomina, Flammarum nuntia carbo, cinis.

144 C. FIMBRIA COS:

FImbria porto nouas rediuiua ad Pergama flammas,
Exscindo Matrem Roma cane peior, & angue.

145 L. CINNA COS: IV.

O Brutus es saxis: Non molliter ergo quiesces,
Nec leuis à vento flabere Cinna, Cinis.

146 METELLVS NEPOS MACEDONICI COS:

D*Egener à proauo Macedûm victore Metello*
Fio fugens Cymbros pro pronepote Nepos.

147 T. DIDIVS COS:

D*Idius in bello spoliata cadauera furtim*
Nostra lego, condo nocte, triumpho die.

148 Q. MVCIVS COS:

M*Vcius ex Asia redeo, nihil inde reporto,*
Quin habet illa meos Mucia sacra dies.

149 M. LIVIVS DRVSVS TRIB: PLEB:

V*Astam Tribuni suspice arrogantiam!*
Ad se Senatus me vocat, & ad me venit.

150 P. RVTILIVS LVPVS.

M*E bellum sociale necat. Quod perdidit ipsam*
Pene Lupam, miserum perdidit ante Lupum

151 POMPEIVS STRABO COS:

F*Vlmine percussum trahit vnco turba Strabonem.*
Nec Pater Altitonans oculis hunc aspicit æquis.

152 GN: PAPIRIVS CARBO COS:

Q*Vod videt in Templis argentum conflat & aurum*
Consul egens numis & quia Carbo fuit.

CAR-

153 CARBO COS: III.

E *Iulo ter Conful Carbo, quafi fæmina vilis,*
Fumoque cum lacrymis, & fine luce cado.

154 L.MVRÆNA CONTRA MITHRIDATEM.

I *N Ponto Muræna natas in Pontica Regna.*
Regna tamen piftrix grandis & orca capit.

155 Q. METELLVS SCIPIO PIVS PROCOS:

D *Ignor ab Hifpano, quafi Numen honore Deorum:*
Impius efficior, qui Pius antè feror.

156 APPIVS CLAVDIVS PVLCHER.

P *Vlcher eram, Rodopen petij, Rodopeia faxa*
Me pulchrè tumulant, Orphea quæ lapidant.

157 CATVLVS COS: CVM LEPIDO.

O *Bfidet Æmilius Patriam, Collega tuetur,*
Illepidè Lepidus, fed lepidè Catulus.

158 SERTORIVS LVSCVS.

A *Rmor & oppofitas excæco puluere turmas,*
Vincoque, nam pugno Lufcus in Andabatas.

159 C.AVRELIVS COTTA PROCOS:

R *Vmpitur occlufum vulnus ne Cotta triumphet;*
Nempè triumphare eft, noua pandere vulnera Cotta.

C.CV-

160 C.CVRIO SCRIBONIVS PROCOS:

C*Vrio Dardaniam capio, ne Roma feratur*
Dardaniæ stirpis, sed sine Dardania.

161 GN: AVFIDIVS ORESTES COS:

A*Vfidius populi furijs agitabar Orestes;*
Tribunus esse nequeo, Consul prodeo.

162 M.TERENTIVS LVCVLLVS PROCOS:

Q*Vod Cyrus, Macedoque impunè haud egerat vmquã,*
Infero nostra feris arma videnda Scytis.

163 M.CRASSVS DE BELLO SERVILI OVAT.

D*Aphnide non Myrto cingor, quia Gloria grandis*
Est, nostros hostes vincere perpetuos.

164 Q.MARCIVS REX COS: SOLVS.

C*Ollega Marcij moritur vnus, duo;*
Nam Consulatus Regis haud plures capit.

165 Q.METELLVS CRETICVS.

P*Alladium Patriæ seruat prior ille Metellus;*
Pro Patria Patriam destruit iste Iouis.

166 CICERO COS:

L*Entulus & Cicero certant, Respublica vincit,*
Ac teritur minimo lens minor à Cicere.

LEN-

167 LENTVLVS SVRA COS:

POrrigis heu frustra Ciceroni, Lentule, furas;
Consul enim furam non petit, at iugulum.

168 BIBVLVS COS: CVM CÆSARE.

PVblica ne cures, Consul, tibi consule soli:
Cætera nolito tangere; Cæsaris es.

169 Q. CICERO PROCOS:

INnteger ex Asia redeo, statuamque reporto
Dimidiam; Toto plus mihi dimidium.

170 Q. METELLVS SCIPIO COS:

PEr vada salsa petor, stygiasque impellor ad vndas;
Non alio possum dicere, quàm Sitio.

171 M. MARCELLVS COS:

VIuere dat Cæsar nobis, adimitque satelles
Cæsaris; hoc vitam est tradere, & eripere.

172 POMPEIVS.

REge necor puero: post Cæsaris arma negabam
Maiori cessisse locum, nunc cedo Minori.

173 Q. METELLVS N. BALEARICI COS:

CLarus auo poteram Balearicus alter haberi
Maloque dissimilis moribus esse Nepos.

HIR-

174 HIRCIVS COS:

B *Rutus erat primus, tu Consul es ultimus, Hirci,*
Incipit à Brutis libertas, finit in Hircis.

175 C. VIBIVS PANSA CAPRONIANVS COS:

P *Ro Patria quid non feci? labor irritus omnis:*
Pansa fit Augusto longi quasi pausa laboris.

176 Q. PEDIVS COS:

Q *Vincte Pedi, damnas qui percussere Tyrannum;*
Improbe pes, Quis te credat habere caput?

177 D. BRVTVS OCCISVS A CAPENO.

E *Mutina Decius fugio, iugulorque Capeno:*
Panditur ad lethum Porta Capena meum.

178 M. BRVTVS.

I *N me verto manus, & vito Cæsaris iram;*
Non fugio pedibus, qui fugio manibus.

179 GN. POMPEIVS MAGNI FILIVS.

P *Ro Mundi Imperio ad Mundam cum Cæsare pugno,*
Munda mihi Mundum tollit & Imperium.

180 L. ANTONIVS PIETAS COS:

M *E Perusina fames domat, & penuria victus;*
Esse feror Pietas, veraque sum Caritas.

SEX.

181 SEXTVS POMPEIVS A TITIO OCCISVS.

MOnstra Maris siculi supero, mihi subdo Cyclopas;
Denique sub Titio penè Gygante cado.

182 C. ASINIVS POLLIO COS:

POllio Parthinos pressi, Venetosque repressi
ferrea secla cadunt, aurea Virgo redit.

183 VENTIDIVS CONTRA PARTHOS.

OLim captiuus capta Babylone triumpho,
Armaque dùm Crassos vindico, nostra lego.

184 M. CRASSVS.

MIssus ad Euphratem captus Syrene trucidor;
Parthenopem reperi, dùm Babylona peto.

185 TAVRVS CART: TRIVMPH: ET INSTAVR:

FIt iuris Carthago mei; quæ tergore tauri
Condita, sub Tauro cadit, vt renouata resurgat.

186 ÆMILIVS IIIVIR: IN CIRCEO,

EXulat ad Circem Lepidus procul Vrbe Triumuir;
Bestia deposito redditur Imperio.

183 M. ANTONIVS: Ab Ero non occiditur.

ME iugulauit amor, seruus iugulare recusat,
Tam malè fecit Eros, quàm benè fecit Amor.

M. TVL-

188 M. TVLLIVS CICERO F. COS:

NOn potes, Antoni, Cicerones perdere totos,
Consule me tandem sub Cicerone cadis.

189 VALERIVS MESSALLA COS: POST M. ANT.

QVid facis Antoni? Nunquam proscriptus habebor,
Qui tibi subscriptus denique Consul ero.

CARINAS COS:

190 *DE Morinis quasi de superato Gange triumpho;*
Sera patet votis hæc NOVA TERRA meis

ÆLIVS GALLVS IN ARABIAM.

191 *FElices Arabas infelix primus adiui;*
Esse volo Phœnix, nec benè Gallus eram.

192 PLANCVS ET LEPIDVS CENS. VLTIMI.

VLtima nostra fuit Romæ Censura, Tribunal
Eregimus, extremas liquimus has tabulas.

C. SENTIVS COS: SOLVS.

193 *ORdino res Patriæ solus sinè compare Consul,*
Sola sub Augusto, quæ probo vera, volo.

194 LVCRET. VESPILLO COS: OLIM PROSCR.

ABditus in latebris tectis Vespillo latebam,
Et Lepidi gladios, quasi Vespertilio fugi.

LE-

195 LEPIDVS P.M.

SImpuuium liquit mihi Cæsar, & abstulit ensem;
Non renuit socios Romulus iste Numas.

196 IVLVS ANT: COS: AMATOR IVLIÆ.

IVlia, Troia, & Oeta mea es, tuus vnit Iulus
Herculeos ignes, Æneadumque faces.

197 DRVSVS COS:

LApsus equo morior, mors & victoria Druso
Seruit, & imparili par meat æqua pede.

198 CORN: LENTVLVS COS:

COniuro contra Cæsarem, & Consul creor,
Parcente Cæsare venit in terras Deus.

199 OCTAVIANVS AVGVSTVS.

MOllior Augustus totum describere mundum,
Dumque homines meditor scribere, scribo Deũ.

200 IESVS CRVCI AFFIXVS.

IN Cruce mille Cruces patior; sed linquere Matrem,
Est omnes inter Crux mihi Prima Cruces.



DE STATVIS.

INgens Statuarum prouentus, innumerabilia Hominum Deorumque toreumata, per vrbanos, & suburbanos hortos dispertita. Longum opus singula dinumerare, aut Domos, & Dominos quos subindè mutant recensere. Magna pars è vinearum purgamentis in dies eruitur, nec minor in alienas Terras nauigat. Vt quemadmodum percussa Neptuni tridente Attica tellus olim equum parturijt; non aliter ab excusso altioribus rastris Romano solo, vberrimus Statuarum prouentus continuò grandis emergat; Nec sinè aliquo veritatis argumento, quicquid Signorum vbique Terrarum mirabile est, licet è media Græcia translatum, illud tamen Romanum esse censeatur. Imò fit vt preciosas triumphantis Romæ quisquilias Barbarorum armis & manibus intactas, non Romanenses solum, sed Reges etiam exteri curiosè venentur, vt ad Vrbis opera inuiscenda, si possint, suas ad Insulas Romanum Orbem pelliciant. Quod si veteres illi Geometræ paucis in arena inspectis suarum linearum rudimentis, se hominum vestigia videre, ac tenere gloriabantur; Nos meliùs in tot metallinis signis in tot marmoribus affabrè delineatis quædam quasi spirantia Diuinæ artis lineamenta deprehendimus. Paucis itaque cursim breues inscriptiones appositæ, ne prætérita tot simulacrorum turba conqueratur. De quibus sic aptè cecinit D. Hidelbertus Episcop: Cenoman: & Archiepis. Turonensis.

Hic superùm formas Superi mirantur & ipsi,
Et cuperent fictis vultibus esse pares.
Non potuit natura Deos hoc ore creare,
Quo miranda Deum signa creauit homo.
Vultus adest his Numinibus, potiusque coluntur
Artificum studio, quàm Deitate sua, &c.

